OFFICIA PROPRIA

SANCTORUM HIBERNIÆ,

Ab omnibus utriuſque Sexûs, qui ad Horas Canonicas tenentur, tàm in memorato Regno, quàm in Conventibus, & Collegiis extranationalibus,

Sub Ritu Duplici Majori

RECITANDA

In Vim duplicis Decreti

Sacræ Rituum Congregationis,

Ut duæ priores Paginæ indicabunt.

PROCURANTE

A. R. P. THOMA DE BURGO, *Dublinienſi, Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Magiſtro, & Protonotario Apoſtolico.*

Superiorum Permiſſu.

DUBLINII:

Sumptibus IGNATII KEILY, Bibliopolæ, in Via San-Mariana.

MDCCLI.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

JANUARIUS.

16. S. FURSÆI, Monasterii *Latiniacensis* (in *Insula Franciæ*) Fundatoris, primique Abbatis, necnon Ecclesiæ Collegiatæ, & Oppidi *Peronæ* (in *Picardia*) Patroni. *Obdormivit Anno* 653. *Pag.* 3

FEBRUARIUS.

1. S. Brigidæ Virginis, Monasterii *Kildarienſis* (in *Lagenia*) Fundatricis, primæque Abbatissæ, Regni *Hiberniæ* Patronæ. *Obdormivit Anno* 523. *Pag.* 9.

17. S. Fintani, Monasterii de *Cluain-Ednech* (in Agro *Reginæ*, & Natione *Lageniæ*) Fundatoris, primique Abbatis. *Obdormivit Anno* 603. *Pag.* 15

MARTIUS.

8. S. Cataldi, Episcopi *Tarentini* (in hodierna Provincia Regni Neapolitani *Hydruntina*, Natione olim *Magnæ Græciæ*) & Confessoris, ac *Tarentinæ* Civitatis Patroni. *Obdormivit circà Annum* 492. *Pag.* 18

18. S. Frigidiani, Episcopi *Lucensis* (in *Etruria*, seù *Thuscia*) & Confessoris, *Lucensisque* Civitatis Patroni. *Obdormivit circà Annum* 595. *Pag.* 27

20. S. Cuthberti, Episcopi *Landisfarnensis* (in *Anglia*) & Confessoris. *Obdormivit Anno* 686. *Pag.* 35

28. S. Ruperti, *Vagionum*, sivè *Wormatiensium*, deindè *Salisburgensium* (in *Germania Superiori*) primi Episcopi, & Confessoris, *Bavarorum*, atque *Noricorum* Apostoli. *Obdormivit Anno* 623. *Pag.* 39

APRILIS.

6. S. Celestini Primi, Papæ, & Confessoris. *Obdormivit Anno* 432. *Pag.* 45

7. S. Celsi, Episcopi *Armacani*, & Confessoris. *Obdormivit Anno* 1129. *Pag.* 47

MAIUS.

10. S. Congalli, Monasterii *Benchorensis*, seù *Bangorensis* (in Agro *Dunensi* Ultoniæ) Fundatoris, primique Abbatis. *Obdormivit Anno* 601. *Pag.* 50

15. S. Dympnæ Virginis, & Martyris, Filiæ Regis *Hiberniæ*; Ecclesiæ Collegiatæ *Gelensis* (in *Belgio*) Patronæ. *Passa est circà Annum* 598. *Pag.* 54

JUNIUS.

9. S. Columbæ, sivè Columbi, Monasterii *Hyensis* (in *Scotia*) Fundatoris, primique Abbatis, necnon *Pictorum* Scotiæ Apostoli, ac tertii *Hibernorum* Patroni. *Obdormivit Anno* 597. *Pag.* 58

JULIUS.
1. S. Rumoldi, *Dublinienſium* Epiſcopi, & Martyris, *Mechlinenſium* (in *Belgio*) Apoſtoli. *Paſſus eſt Anno* 775. *P.* 63
8. S. Kiliani, primi Epiſcopi *Herbipolenſis*, ſeù *Wurtziburgenſis* (in *Franconia*) & Martyris, *Teutonicæ Franciæ* Apoſtoli. *Paſſus eſt Anno* 689. *Pag.* 68
AUGUSTUS.
30. S. Fiacrii Eremitæ. *Obdormivit Anno* 630. *Pag.* 71
SEPTEMBER.
25. S. Firmini, primi Epiſcopi *Ambianenſis* (in *Picardia*), & Martyris, ac *Ambianenſis* Diæceſis Patroni, necnon *Aginnenſium*, *Arvernorum*, *Andegavenſium*, *Bellovacenſiumque* (in *Gallia*) Apoſtoli. *Paſſus eſt circà Annum* 287. *Pag.* 80
OCTOBER.
11. S. Canici, Monaſterii *Aghavenſis* (in Agro *Reginæ*, & Natione *Lageniæ*) Fundatoris, primique Abbatis; Civitatis *Kilkennienſis*, ac totius *Oſſorienſis* Diæceſis (in eadem Natione) Patroni. *Obdormivit Anno* 599. *Pag.* 83
16. S. Galli, Monaſterii *San-Gallenſis* (in *Helvetia*) Fundatoris, primique Abbatis, necnon *Helvetiorum* Apoſtoli. *Obdormivit Anno* 645. *Pag.* 86
22. S. Donati, Epiſcopi *Feſulani* (in *Etruria*, ſeù *Thuſcia*) & Confeſſoris. *Obdormivit Anno* 840. *Pag.* 97
29. S. Colmani Duaci, primi Epiſcopi *Duacenſis* (in Agro *Galvienſi* Conaciæ) & Confeſſoris, ejuſdemque Diæceſis Patroni. *Obdormivit circa Annum* 630. *Pag.* 100
NOVEMBER.
3. S. Malachiæ, Epiſcopi *Armacani*, & Confeſſoris, per univerſam *Hiberniam* Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legati. *Obdormivit Anno* 1148. *Pag.* 103
12. S. Livini, *Dublinienſium* Epiſcopi, & Martyris, *Gandavenſium* (in *Belgio*) Patroni. *Paſſus eſt Anno* 633. *Pag.* 106
14. S. Laurentii O Toolei, Archiepiſcopi *Dublinienſis*, & Confeſſoris, per Univerſam *Hiberniam* Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legati. *Obdormivit Anno* 1180. *P.* 110
24. S. Columbani, Monaſteriorum *Luxovienſis*, & *Fontanenſis* (in *Burgundia*) atque *Bobienſis* (in *Inſubria*, hodiè *Ducatu Mediolanenſi* Italiæ) Fundatoris, primique Abbatis. *Obdormivit Anno* 615. *Pag.* 124

D E-

DECRETUM.

AD humillimas preces Sanctiſſimo Domino noſtro porrectas, & a Sanctitate ſua ad ſacram Rituum Congregationem remiſſas, pro extenſione ad univerſum Clerum Sæcularem, & Regularem utriuſque ſexûs, tàm in Regno Hiberniæ, quàm in Conventibus, & Collegiis Nationalibus Ultramarinis, Miſſarum, & Officiorum, ſub Ritu Duplici Majori, infraſcriptorum Sanctorum, nempè S. Rumoldi Ep. Dublinenſis, & Martyris, prima Julii=S. Malachiæ Archiep. Armacani, & Confeſſoris 3 Novembris=S. Laurentii Archiep. Dublinenſis, & Confeſſoris 14 Novembris=S. Frigidiani Epiſcopi Lucenſis, & Confeſſoris 18 Martii =Sanctæ Brigidæ Abbatiſſæ Kildarienſis, & Virginis, prima Februarii, prout reperiuntur in Miſſali, & Breviario Canonicorum Regularium Lateranenſium. Item S. Cæleſtini Primi Papæ, & Confeſſoris 6 Aprilis=S. Columbi Abbatis 9 Junii=S. Galli Abbatis 16 Octobris=S. Columbani Abbatis 24 Novembris=S. Dympnæ Virginis, & Martyris 15 Maii, ſi, & prout reperiuntur in aliis Miſſalibus, & Breviariis approbatis, ſin minùs eorum Miſſæ, & Officia deſumantur de Communi; ſacra eadem Congregatio, ad relationem Eminentiſſimi & Reverentiſſimi Domini Cardinalis Gotti, Oratoribus Gratiam juxtà petita concedendam eſſe cenſuit. Die 8 Julii 1741.

Fr. Joannes Antonius Cardinalis Guadagni Pro-præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

Thomas Patriarcha Hieroſolymitanus Secretarius.

DECRETUM.

AD humillimas Preces Nomine Cleri Regni Hiberniæ per suum in Romana Curia Agentem SS Domino nostro Benedicto Papæ XIV. porrectas, & a Sanctitate sua ad sacram Rituum Congregationem remissas, pro concessione, & extensione officiorum propriorum, & Missarum infra scriptorum Sanctorum nationalium, sub Ritu Duplici Majori, ad universum illius Regnum, nempé;

Die 16 Januarii S. Fursæi Ab. Latiniacensis. 17 Feb. S. Fintani Presb. & Conf. 8 Martii S. Cataldi Ep. Tarentini & Conf. 20 Martii S. Cuthberti Ep. Landisfarnensis & Conf. 27 Martii S. Ruperti Ep. Salisburgensis & Conf. 7 Apr. S. Celsi Ep. Armacani & Conf. 10 Maii S. Congalli Ab. Benchorensis. 8 Julii S. Kiliani Ep. Herbipolensis & Mart. 30 Augusti S. Fiacrii Conf. 25 Sep. S. Firmini Ep. Ambianensis & Mart. 11 Oct. S. Canici Ab. Aghavensis. 22 Oct. S. Donati Ep. Fesulani & Conf. 29 Oct. S. Colmani Duaci Ep. Duacensis in Hibernia & Conf. 12 Nov. S. Livini Ep. Dublinensis & Mart.

Sacra eadem Congregatio, audito prius in voce Reverendissimo P. Domino Fidei Promotore, & ad Relationem Eminentissimi & Reverendissimi Dom. Card. Portocarrero, concessionem, & respective extensionem, officiorum propriorum, & Missarum supradictorum SS ad totum præfatum Regnum, si fuerint a S. Sede approbata, sin aliter de Communi, recitandorum sub Ritu, quem obtinent, aliàs sub Ritu semiduplici, Diebus non impeditis, ab omnibus Christi Fidelibus utriusque Sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, nec non ab omnibus Hibernensibus, in transmarinis Partibus collegialiter degentibus, benignè indulsit, atque concessit. Hac die 1 Julii, 1747.

Loco ✠ Sigilli

Dominicus Card. Tamburinus Præfectus.

Thomas Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius.

Notandum, Omnia memorata Festa sub Ritu Duplici majori celebranda esse, cùm certò constet eorum singula in aliqua Diœcesi, aut Religioso Ordine, sub eo Ritu celebrari.

Die

Die XVI. Januarii.

IN FESTO

S. FURSÆI,

Monaſterii Latiniacenſis (in Inſula Franciæ) Fundatoris, primique Abbatis, necnon Eccleſiæ Collegiatæ, & Oppidi Peronæ (in Picardia) Patroni.

Duplex Majus.

Omnia ut in Communi Confeſſoris non Pontificis, præter hic poſita.

ORATIO.

DEUS, cujus Munere Beatus Furſæus Abbas multiplici Gloria ſanctæ Converſationis emicuit: Præſta quæſumus, ſic Nos Beatitudinis ejus Merita venerari, ut ejuſdem valeamus ſublevari Suffragiis. Per Dominum, &c.

In I Nocturno.

De Epiſtola ſecunda Beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios. *Cap.* 5.

LECTIO I.

SCIMUS enim quoniam ſi terreſtris Domus noſtra hujus Habitationis diſſolvatur, quod Ædificationem ex Deo habemus, Domum non manufactam, æternam in Cœlis. Nam & in hoc ingemiſcimus, Habitationem noſtram, quæ de Cœlo eſt, ſuperindui cupientes: Si tamen veſtiti, non nudi inveniamur. Nam & qui ſumus in hoc Tabernaculo, ingemiſcimus gravati; eò quod nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt à Vita.

LECTIO II.

AUDENTES igitur ſemper, ſcientes quoniam dùm ſumus in Corpore, peregrinamur à Domino: (per Fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem:) Audemus

nus autem & bonam Voluntatem habemus magis peregrinari à Corpore, & preſentes eſſe ad Dominum. Et ideò contendimus ſivè abſentes, ſivè præſentes placere illi. Omnes enim Nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria Corporis, prout geſſit, ſivè bonum, ſivè malum.

Lectio III.

SCIENTES ergò Timorem Domini, Hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem, & in Conſcientiis veſtris manifeſtos Nos eſſe. Non iterùm commendamus Nos Vobis: Sed Occaſionem damus Vobis gloriandi pro Nobis: Ut habeatis eos, qui in Facie gloriantur, & non in Corde. Sivè enim Mente excedimus, Deo: Sive ſobrii ſumus Vobis. Charitas enim Chriſti urget Nos.

In II. Nocturno.

Ex Ven. Beda, Notkero Balbulo, Petro de Natalibus, Joanne Capgravio, Vincentio Bellovacenſi, Rabano Mauro, Arnaldo Wion, Baronio, Surio, Mabillonio, Bollando, aliiſque probatis Auctoribus; necnon ex Proprio SS. Archidiæceſis Pariſienſis, Eccleſiæ Collegiatæ Peronæ, & Monaſterii Latiniacenſis Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri.

Lectio IV.

FURSÆUS, Patre Philtano, Finlogæ Filio, Momonienſium Rege, Matre verò Gilgeſia, Filiâ Aedfindi, Regis Conaciæ, in Hibernia natus, à Beato Brendano Patruo ſuo, Monaſterii de Cluainfert (in Epiſcopalem Sedem poſtmodùm evecti) in Regione Auſtralis Conaciæ, ad magni Fluminis Sinennii Ripam, Fundatore, primoque Abbate, baptizatus fuit. Puer dein, & Adoleſcens, à tanto Doctore in divinarum Doctrinarum Paginis ad plenum eruditus, quod à Beato Magiſtro prudenti Ingenio didicerat, in pio Pectoris Armario condidit. Acceptâ autem ab eo Licentiâ, & Benedictione, ad Inſulam, *Rathmat* nuncupatam, in Orbſenſi Lacu Conaciæ, tranſiit, in quâ inſigni ædificato Cænobio (quod hodie Eccleſia Parochialis eſt Tuamenſis Archidiæceſis, in Agro Galvienſi, appellata nunc ex Fundatoris Nomine *Kill-Farfa*) magnum Monachorum Agmen congregavit, piaque Sollicitudine vocare curavit, ac cæleſtibus planè

Documentis

Documentis imbuere complures è Cognatione ſua nobili, ſuoſque etiam Germanos Fratres, Sanctum nempè Foillanum, Epiſcopum deindè, & Martyrem, Sanctumque Ultanum, Abbatem poſteà Foſſenſem, ad Bervennam Fluvium, in Diæceſi, & Agro Leodienſi. Verum, Angelo monente, è Monaſterio egreſſus, univerſam Hiberniæ Inſulam circumire ſtuduit, Verbum Dei ubique, atque indeſinenter, maximo cum Animarum Lucro, prædicans. Sed completis duodecim Annis in Evangelico hoc Labore, non ſine præclaris, innumeriſque Miraculorum Signis, irruentium Populorum Multitudines non ferens, Vir Deo plenus, qui pro Chriſti Nomine Paterni Regni Pompam, ac totius labentis Mundi Gloriam, contempſerat, relictis omnibus, quæ habere videbatur, Navim paucis cum Diſcipulis conſcendit, ac peregrinando plurima Inſulanorum Littora, in Brittaniam, felici Aurâ flante, pervenit.

Lectio V.

IBI à Sigeberto, Orientalium Anglorum Rege, honorificè ſuſceptus, Verbum Vitæ prædicavit, multoſque incredulos ad Viam Veritatis convertit; & in Loco quodam, à prædicto Rege ſibi tradito, in Agro Suffolcienſi, ad Oſtia Garienſis Fluvii, Monaſterium condidit, Sylvarum, & Maris Vicinitate ameniſſimum, in quo ejus Suaſu laudatus Sigebertus, abdicato Regno, Monaſticam Vitam amplexus eſt, qui poſtmodùm è Cænobio hoc invitus omninò extractus, ut ſuis Animum adderet contrà irrumpentes Mercios Paganos, in Prælio occiſus ſuit, Martyrii Coronâ decoratus. His ità geſtis, Furſæus cupiens ſe Negotiis omnibus alienare, Monaſterii Curâ memorato Fratri ſuo Foillano, ſanctiſque Preſbyteris Hibernis Gabbano, & Dicullo, commiſsâ, cum altero prænominato Fratre Ultano per Annum integrum Vitam Eremiticam egit. Dein turbatam Incurſione Gentilium Orientalem Angliam videns, Solitudinem deſerit, & ad Peregrinationem Romanam ſe accingens, navigavit in Galliam. Cùm autem poſt magna Itinera, varioſque Caſus, ad optatum Terminum appropinquaret, conjectis in Urbem Oculis ſubſtitit, & incredibili Mentis Teneritudine eam ſic affatus eſt: Salve, inquit, Roma, Urbium Domina, Orbis Magiſtra: Salve Civitas Sanc-

ta, Apoſtolorum Triumphis conſecrata, Martyrum Sanguine irrigata, tot Confeſſorum, ac Virginum Palmis illuſtrata: Salve Mater Eccleſiarum, quæ uſque ad Confeſſionem Generis humani, ab Apoſtolica ſede, per Succeſſionem Epiſcoporum, fruſtrà Hæreticis circumlatrantibus, Culmen Authoritatis obtines. Peractâ Peregrinatione Romanâ, Apoſtolicâque Benedictione à Sancto Martino Primo, Papâ, & Martyre, humiliter impetratâ, in Galliam rediit, ibique à Clodoveo Secundo, Francorum Rege, & Erchenaldo Comite, gratulanter receptus, apud Veromanduos, & Atrebates, Dei Verbum diſſeminavit, deinde in Loco, quem Latiniacum nuncupant, ad Sequanæ Fluminis Ripam, Monaſterium conſtruxit.

Lectio VI.

AT non multò poſt in Angliam reverti ſtatuens, ut Foillanum, & Ultanum, beatiſſimòs Fratres ſuos, viſitaret, præfecto Latiniacenſi Congregationi Sancto Æmiliano Hiberno (cui ſucceſſit Sanctus Eloquius Hibernus pariter, qui illum ex Hibernia ab Initio comitati fuerant) Infirmitate in Itinere correptus, Viamque univerſæ Carnis ingreſſus, ſanctam in Cœlos emiſit Animam, ſeptimo Kalendas Januarii, Anno Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimo quinqnageſimo tertio, Pontificatûs verò ejuſdem Sancti Martini Papæ quinto. Cùm autem Contentio eſſet orta inter Haymonem Ducem, & Erchenaldum Comitem de poſſidendo Sancti Furſæi Corpore, utroque tandem aſſentiente, duobus Tauris indomitis impoſitum fuit, ut ad Sepulturæ Locum, à Deo præordinatum, deferretur, qui, Nemine dirigente, illud ad Erchenaldi Villam, cui Nomen Perona, in Picardia, detulerunt, ubi Erchenaldus ſacrum Theſaurum ſervavit in Porticu Eccleſiæ, quam fieri faciebat, donec dedicaretur. Quod cùm poſt Dies viginti ſeptem eſſet factum, & Corpus de Porticu ablatum, propè Altare recondendum eſſet, inventum eſt illæſum. Sed & poſt Annos quatuor, conſtructâ Domunculâ cultiore, adhuc ſine Macula Corruptionis inventum, à Sanctis Eligio Noviomenſium, & Tornacenſium, ac Auſberto Cameracenſium, Epiſcopis, quinto Idûs Februarii elevatum fuit, & retrò ſummum Altare juxtà Commilitonum ſuorum Hibernorum, Sanctorum nempè Meldani, & Bredani, Corpora,

Corpora, quæ ipſemet eo in Loco ſepeliverat, reconditum, ubi multis conſtat, Deo operante, Miraculis claruiſſe. Demùm ſolemnior facta fuit ſacrarum Exuviarum Tranſlatio Anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto, quando adſtante, & vidente Sancto Ludovico Francorum Rege, à Vermando Noviomenſi, Gullielmo Bellovacenſi, & Rodulpho Morinenſi, Epiſcopis, in Capſa nova repoſitum fuit, & eodem in Loco reconditum, acto deſuper Inſtrumento publico, Sigillis tàm memorati Regis, quam dictorum Autiſtitium, munito.

In III. Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundum Matthæum. *Cap.* 19.

Lectio VII.

IN illo Tempore, dixit Simon Petrus ad Jeſum: Ecce Nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus Te: Quid ergò erit Nobis? Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Lib. de Contempt Mundi. C. 1.

HÆC ſunt Verba, Fratres dilectiſſimi, quæ Contemptum Mundi in univerſo Mundo, & voluntariam perſuaſere Hominibus Paupertatem. Hæc ſunt, quæ Monachis Clauſtra replent, deſerta Anachoretis. Hæc, inquam, ſunt Verba, quæ Ægyptum ſpoliant, & optima quæque ejus Vaſa deripiunt. Hic ſermo vivus, & efficax, convertens Animas felici Æmulatione Sanctitatis, & Veritatis Promiſſione fideli. Dixit enim Simon Petrus ad Jeſum: Ecce Nos reliquimus omnia. Benè, optimè, & non ad Inſipientiam Tibi. Nam & Mundus tranſit, & Concupiſcentia ejus; & relinquere hæc magis expedit, quàm relinqui.

Lectio VIII.

SED nec illa eſt inutilis Commutatio, pro eo, qui ſuper omnia eſt, omnia reliquiſſe. Nam & ſimul cum eo donantur omnia, & ubi apprehenderis eum, erit unus ipſe omnia in omnibus, qui pro ipſo omnia reliquerunt. Omnia ſanè dixerim, non tantùm Poſſeſſiones, ſed etiam Cupiditates, & eas maximè. Plus enim Concupiſcentia Mundi, quàm Subſtantia nocet. Et hæc fugiendarum Cauſa Divitiarum præcipua eſt, quod aut vix, aut nunquàm ſine

Amore

Amore valeant poſſideri. Limoſa ſiquidem, & glutinoſa nimis non modò exterior, verùm etiam interior Subſtantia noſtra videtur, & facilè Cor humanum, omnibus, quæ frequentat, adhæret.

LECTIO IX.

AGE ergò, qui relinquere univerſa diſponis, Te quoque inter relinquenda numerare memento. Imò verò maximè, & principaliter abnega Temetipſum; ſi deliberas ſequi eum, qui exinanivit propter Te ſemetipſum, pone graviſſimam Sarcinam, pone aſinariam Molam, terrenam Molem: Pone illa quinque non Hominum planè Juga, ſed Boum, quæ Tibi inſipienter emiſti. Alioquin ſequi Sponſum, & venire ad Nuptias ſpirituales, quinaria hac preſſus, & oppreſſus Corporis Senſualitate non poteris; ſed etſi noviſſimè veneris, & pulſaveris, minimè profectò aperietur Tibi, ſed reſpondebitur de intus, quod non ſit de Inſipientibus Cura Deo.

Miſſa, Os Juſti, *ut in Communi Abbatum.*

Die

Die primâ Februarii.

IN FESTO

S. BRIGIDÆ Virginis,

Monaſterii Kildarienſis (in Lagenia) Fundatricis, Primæque Abbatiſſæ,

REGNI HIBERNIÆ PATRONÆ.

Duplex Majus.

Omnia ut in Communi Virginum, præter hìc poſita.

Ad Veſperas.

HYMNUS.

ADEST Dies Lætitiæ,
In quo Beata Brigida,
De Tenebris Miſeriæ
Tranſiit ad Regna lucida.
A Statu Pueritiæ
Deo ſervire ſtuduit,
Dono pollens Munditiæ,
Sponſo ſuperno placuit.
In Signum Pudicitiæ
Altaris, quod exaruit,
Manûs Tactu virgineæ,
Lignum repentè viruit.
Hæc eſt Laurus Hiberniæ,
Cujus Viror non marcuit,
Plena Miſericordiæ,
Nulli Petenti defuit.
Per Sæcula ſine Terminis,
Soli Deo ſit Gloria,
Qui Prece tantæ Virginis,
Nos ducat ad cæleſtia. *Amen.*

Ad Magnificat Antiphona.

DEO Caruis edidit Brigida Candorem, delatum reddidit benignis Honorem, ſiccum Lignum Nivis deſignans Candorem, ad Tactum Virginis reſumpſit Virorem.

ORATIO.

DEUS, qui nos hodiernâ Die Beatæ Brigidæ Virginis tuæ annuâ Solemnitate lætificas: Concede propitiùs, ut ejus adjuvemur Meritis, cujus Caſtitatis irradiamur Exemplis. Per Dominum, &c.

Ad

Ad Matutinum.

Hymnus, ut ſuprà.

In I. Nocturno.

De Libro Sapientiæ.

Lectio I. *Cap.* 7 & 8.

OMNIUM Artifex docuit me Sapientia. Eſt enim in illa Spiritus Intelligentiæ ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, b nignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens Virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes Spiritus; intelligibilis, mundus, ſub ilis. Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia: Attingit autem ubique propter ſuam Munditiam. Vapor eſt enim Virtutis Dei, & Emanatio quædam eſt Claritatis Omnipotentis Dei ſincera: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit.

Lectio II.

CANDOR eſt enim Lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei Majeſtatis, & Imago Bonitatis illius. Et cùm ſit una, omnia poteſt: & in ſe permanens, omnia innovat, & per Nationes in Animas ſanctus ſe tranſfert, amicos Dei, & Prophetas conſtituit. Neminem enim diligit Deus, niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat. Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem Diſpoſitionem Stellarum, Luci comparata invenitur prior. Illi enim ſuccedit Nox, ſapientiam autem non vincit Malitia. Attingit ergò à Fine uſque ad Finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.

Lectio III.

HANC amavi, & exquiſivi à Juventute mea, & quæſivi Sponſam mihi eam aſſumere, & Amator factus ſum Formæ illius: Generoſitatem illius glorificat Contubernium habens Dei, ſed & omnium Doctrix dilexit illam. Doctrix enim eſt Diſciplinæ Dei, & Electrix Operum illius. Et ſi Divitiæ appetuntur in Vita, quid Sapientiâ locupletius, quæ operatur omnia? Si autem Senſus operatur: Quis horum, quæ ſunt, magis quàm illa eſt Artifex? Et ſi Juſtitiam quis diligit: Labores hujus magnas habent Virtutes; Sobrietatem, & Prudentiam

tiam docet, & Juſtitiam, & Virtutem, quibus utilius nihil eſt in Vita Hominibus.

In II. Nocturno.

Ex S. Cogitoſo, S. Antonino, Vincentio Bellovacenſi, Guidone de Caſtris, Jacobo de Voragine, Petro de Natalibus, Capgravio, Caniſio, Surio, Bollando, aliiſque claris Auctoribus; necnon ex variis Breviariis approbatis, præſertim Canonicorum Regularium Lateranenſium.

Lectio IV.

BRIGIDA Virgo ſacra ex Provincia Lageniæ in Hibernia, Parentibus nobilibus, & chriſtianis genita, multarum in Chriſto ſanctarum Virginum Mater extitit. Cùm adhuc infantula eſſet, ejus Pater vidit Homines, albis Veſtibus indutos, ſacrum Oleum ſuper Caput ipſius fundentes, quæ Res futuram Virginis Pietatem, & Sanctimoniam, præſignabat. Primos Pueritiæ Annos attingens, Chriſto Salvatori, quem ſibi ſponſum elegerat, ex intimis Præcordiis tàm ardenter inhæſit, ut ejus Amore, quidquid habere poterat, Pauperibus erogaret; & aliquando Lac Vaccarum, & Butyrum, Egenis ab ea diſtributum, ad Menſuram, & Pondus, quod priùs habuerat, indaganti Matri ſuæ reddidit. Equos etiam ſui Currûs dedit Indigentibus, dùm Equi indomiti, ei donati, ſub ejus Curru mox miteſcerent. Sed cùm ſemel nihil prorſus ad Manum haberet Pauperibus diſpertiendum, regium Gladium, Patri à Rege ipſo non ità pridem donatum, Inopi dare non dubitavit; quam ob rem à Rege ſimul atque Patre durè increpata, incunctanter reſpondit, ſe omnia utriuſque Bona, ſi ipſi concederentur, Minimis Chriſti largituram. Eam ſubindè Conſuetudinem ad Finem uſque Vitæ retinuit. Nàm auream Catenam, Monaſterio ſuo donatam, & in Eccleſiæ Theſauro repoſitam, cum nihil aliud Manibus adeſſet, clanculò ablatam, Egenti dedit; & ſororibus propterea conquerentibus, aliam omninò ſimilem, divinitùs miſſam, reddidit. Cùm eſſet Puella, ne Parentes, à quibus multi, ob incomparabilem Corporis Pulchritudinem, illam Conjugem expetebant. Propoſitum Virginitatis, per quod ſe Deo mancipaverat, ſolvere cogeretur, Deum precata eſt, ut ſe deformem redderet, & mox exaudita. Nam alter Oculorum ejus ſtatim apparuit liquefactus, & tota

Facies

Facies ità eſt immutata, ut permitteretur Nuncium Procis remittere, ſuamque Virginitatem Chriſto Sponſo conſecrare.

Lectio V.

ASSUMPTIS igitur tribus Puellis, perrexit ad Machillum Epiſcopum, Sancti Patritii Diſcipulum, qui videns ſuper Caput ejus Columnam Ignis, induit illam Veſtem, & Pallium album; lectiſque ſacris Precibus, ad Canonicam, Profeſſionem, quam Beatus Patritius laudatus in Hiberniam invexerat, admiſit. Quæ dùm, Caput ſacro Velamini accipiendo ſubmittens, Lignum pedaneum Altaris Manu tetigiſſet, Lignum illud aridum illicò reviruit, & viride poſtmodùm continuò permanſit, in Teſtimonium ſcilicèt Virginitatis ejus, & Sanctitatis; Oculus etiam ejus divinitùs ſtatim redditus fuit, & integra Facies ad priſtinum Decorem reſtituta. Illius poſteà Exemplo tanta Puellarum Multitudo illud Regularis Vitæ Inſtitutum amplexata eſt, ut brevi Tempore totam Hiberniam Cænobiis Virginum impleverit, inter quæ Kildarienſe erat præcipuum cui ipſa, Brigida præfecta fuerat, & à quo tanquàm à Capite cætera pendebant. Ejus porrò Sanctitatem teſtantur etiam ingentia, & inſueta Miracula, quæ tàm vivens, quàm poſt hujus Vitæ Curriculum, patravit, adeò ut Hiberniæ Thaumaturga, non minùs, quàm Patrona, appellari meruerit. Nam Aquam in Cerviſiam, & Lapidem in Salem, convertit. Fluvium à proprio Alveo aliò tranſtulit. Radio Solis per Fornicem Domûs ingreſſo, Arborem exiſtimans, Veſtèm ſuam madefactam poſuit, & quaſi in Ligno ſuppoſito pependit. Mutis Loquelam, Claudiſque Greſſum tribuit. Leproſos ſæpiùs mundavit, ac variis Languoribus ægrotantibus Sanitatem ſuis Precibus impetravit, & duodecim ſimul, diverſis Infirmitatibus laborantes, Aquæ luſtralis Aſperſione curavit. Cæcum etiam à Nativitate videre fecit; & Bronum Epiſcopum, á Muliere impudicâ falsò accuſatum, quod de illo concepiſſet, Signo Crucis ſuper Os Infantis recens nati facto, Infanteque ſtatim verum ſuum Patrem apertè declarante, à Calumnia liberavit.

Lectio

Lectio VI.

NEC defuit Spiritus Prophetiæ, quo Futura multa veluti præſentia indicabat. Sancto quoque Patritio, Hibernenſium Apoſtolo, ſanctiſſimâ Familiaritate juncta, Diem Migrationis ejus ex hac Vita, & Sepulturæ Locum monſtravit; ac Migrationi illius Anno quadringenteſimo nonageſimo tertio præſens fuit; Linteumque, quod anteà paraverat, ad ejus Corpus involvendum dedit. Exindè autem poſt triginta Annorum Seriem, ut ipſe Beatus Patritius prædixerat, divinâ Revelatione Mortem ſibi appropinquare perſentiens, de Manu Sancti Ninnidii Abbatis, ut prænunciaverat, Sacramentis Eccleſiæ ſuſceptis, ſpecioſam Animam Chriſto Sponſo in Kildarienſi ſuo Monaſterio reddidit, Kalendis Februarii, Anno à Virginis Partu quingenteſimo vigeſimo tertio, Ætatis ſuæ ſeptuageſimo, Pontificatûs Hormiſdæ Papæ nono. Ejus Corpus ibidem honorificè ſepultum fuit, ſed poſteà Dunum in Ultonia tranſlatum, & juxta Eccleſiam Cathedralem cum ſacris Beatorum Patritii, & Columbæ Exuviis eodem in Sepulchro reconditum. Qui præclarus Theſaurus, mirabili divinæ Sapientiæ Diſpoſitione multo Tempore abſconditus, tandem cæleſtis Radii Indicio revelatus fuit cuidam illius Sedis Epiſcopo, Nomine Malachiæ, dùm in memorata Eccleſia de Nocte oraret. Subindè, Anno milleſimo centeſimo octogeſimo quinto, Die nonâ Junii, Beato Columbæ ſacrâ, Vivianus Thomaſius Tituli Sancti Stephani in Monte Cœlio Preſbyter Cardinalis, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus, à Lucio Papa Tertio in Hiberniam pro dictarum ſacrarum Reliquiarum Tranſlatione expreſsè miſſus, eaſdem in decentiorem Locum juxtà præfatam Cathedralem Eccleſiam, aſſiſtentibus quindecim Epiſcopis, necnon Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Prioribus, aliiſque Preſbyteris, & Clericis quàm plurimis, atque Nobilibus utriuſque Sexûs, cum immenſo etiam Populi Concurſu, magna Solemnitate, & Devotione, plaudentibus omnibus, tranſtulit. Quod Monumentum, in ſumma Veneratione habitum, permanſit uſque ad Tempora Henrici Octavi.

In tertio Nocturno Homil. in Evang. Simile eſt Regnum Cælorum decem Virginibus, *ut in Communi Virginum.*

Ad Laudes.

Hymnus.

CHristo canamus Gloriam,
Qui per Beatam Brigidam
Decoravit Hiberniam,
Vitam ei donans lucidam.
Hæc Speculum Munditiæ,
Quæ Mundo latè claruit:
Hæc Rosa Temperantiæ
Cujus Virtus non languit.
Manco Manum restituit,
Leprosos mundans Maculis:
Gressum Claudis exhibuit,
Sanans privatos Oculis.
Cænam facit mirabilem
Multis de uno Modio,
Potum præbens laudabilem
Toto Paschali Gaudio.

Per Sæcula, *ut in primis Vesperis.*

Ad Benedictus, Antiphona.

VErâ pollens Virgo Munditiâ, Pietatis ferens Insignia, Sanitatum dotata Gratiâ, post Mortem Carnis vivit in Gloria.

Ad Magnificat, Antiphona.

LUX Brigida Lageniæ, Character Castitatis, Cella patens Clementiæ, Resina Pietatis, Posce tuæ Familiæ Levamen à Peccatis, post Tranfitum Miseriæ Quietem Claritatis.

Missa, ut in Communi pro Virgine tantùm cum supradicto Evangelio. Credo.

Die

Die XVII. Februarii.

IN FESTO
S. FINTANI,

Monaſterii de Cluain-Ednech (in Agro Reginæ, & Natione Lageniæ) Fundatoris, primique Abbatis.

Duplex Majus.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis, præter hic poſita.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Fintanum Abbatem, Gratiæ tuæ Ubertate præventum, Terrena deſpicere, & ſola Cæleſtia deſiderare feciſti: Fac Nos, quæſumus, ejus Meritis, & Imitatione, Mundi hujus Blandimenta vitare, & ad Te puris Mentibus pervenire. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno Lectiones ut in Feſto S. Furſæi, Die 16 Januarii. Pag. 3.

In II. Nocturno.

Ex Variis Breviariis, & Menologiis; item ex Bollando, aliiſque probatis Auctoribus.

LECTIO IV.

FINTANUS in Lagenia, Hiberniæ Natione, Gabreno, & Findathâ, nobilibus, chriſtianiſque Parentibus, natus eſt. A devoto Preſbytero, qui eum baptizaverat, Virtutum, & Literarum Rudimentis imbutus, arctioris Vitæ Deſiderio geſtiens, de ejuſdem Magiſtri ſui Conſenſu, atque Conſilio, perrexit ad Sanctum Columbam Seniorem, Monaſterii de Tyrdaghlaſs, Momoniæ Aquilonaris Oppido, ad Sinnenii Fluminis Ripam, Abbatem, Vitæ Sanctitate, & ſeveriori Diſciplinâ eo Tempore celebrem, quo Doctore, & Duce,

Adoleſcentiam ſanctè peregit. Juvenis factus, tàm egregia Sanctitatis, & Sapientiæ præbuit Specimina, tamque miros in ſanioribus Scientiis, optimiſque Diſciplinis fecit Progreſſus, ut Terrena deſpiciens, & Cœleſtia appetens, Sæculo, in quo ſæculariter non vixerat, Nuncium remittere decreverit. Rebus igitur hujus Mundi valere juſſis, Monaſticam Vitam profeſſus eſt, exindeque Evangelicæ Paupertatis amantiſſimus, ac divinarum Rerum Contemplationi addictiſſimus, necnon mirâ Mentis Puritate, Cordiſque Simplicitate, venerandus effulgens, Hominibus charus, & Deo gratiſſimus, extitit, atque ad Virtutum omnium Apicem brevi pervenit, Humilitatem ſuper omnia avidiſſimè colens; tamque fortem, & invictum Chriſti Athletam ſe exhibuit, ut nihil ei ad Monaſticæ Diſciplinæ Perfectionem deeſſe videretur.

Lectio V.

UT autem in Viro, quem Deus vel à tenera Ætate cœleſtibus Benedictionibus repleverat, ſupernarum Virtutum magis elucerent Cariſmata, utque fidelis Servus, & prudens, cui tàm multa, tàmque præclara à Domino credita eſſent Talenta, illis ad Sacroſanctæ Dei Eccleſiæ, Fratrumque ſuorum, Utilitatem exercendis, negociandiſque, cæleſtis Gratiæ Theſauros amplificaret, ipſum Sanctus Columba memoratus, non ſine divino Monitu, ad Auſtralis Lageniæ Pagum, cui Nomen *Cluain*, miſit, ubi ampliſſimum ædificavit Monaſterium, *Cluain Ednech*, quod Latinè *Latibulum hæderoſum* interpretatur, nuncupatum, in quo ſicut Dignitate ſublimior, ità Virtute ſplendidior evaſit. Ibi namque in divinis Obſequiis, & Regularibus Diſciplinis vigilantiſſimus, Vitam rigidiſſimam, & auſteram, ſectatus eſt; omnibuſque præclaris Dotibus refulgens, piiſſimis Moribus, & Angelicæ Converſationis Exemplo Monachos, Curæ ſuæ traditos, informavit. Famâ autem hujus Venerabilis Viri, omni cæleſtium Donorum Genere cumulatiſſimi, longè latèque diffundente, univerſorum Ordinum Homines de quatuor Hiberniæ Nationibus ad Cœnobium ſuum turmatìm confluebant, Monaſticam Vitam profeſſuri, in eoque Mundo mortui,

& Chriſto

& Chriſto crucifixi, glorioſa de conculcato antiquo Serpente Trophæa reportarunt

Lectio VI.

SANCTO Canico, propinqui Monaſterii Aghavenſis Abbati inſigni, ſingularis Amicitiæ Fœdere junctus fuit, eumque adhuc viventem beatiſſimus Columba Junior, in Hyenſi Scotiæ Inſula tunc Abbas, cui viridi ab Ævo ob præclaras Virtutes charus, acceptuſque fuerat, Sanctum appellavit, ac ſummo Præconio laudavit. Divo enim Columbano, Adoleſcentiam ſub ipſo ibidem agenti, adque natale ſuum Hiberniæ ſolum reverſuro, in Mandatis dedit Columba, ut ad Sanctum Fintanum, ceù Virum planè Apoſtolici Pectoris, omnigenæ Virtutis Supellectili ornatum, Præſulemque omnibus Numeris abſolutiſſimum, ſe conferret, quem ſubindè pro Magiſtro habuit Columbanus, donec ab ipſomet Sancto Fintano ad Beatum Congallum, Benchorenſis, ſeu Bangorenſis, in Ultonia, Monaſterii celeberrimi Fundatorem, primumque Abbatem, ſuum etiam olim Diſcipulum, miſſus fuerit. Tandem Chriſti Famulus nonagenarius, & ultrà, Miraculorum Patrator mirificus, Spiritu prophetico, Pietate ergà Deum, Charitate ergà Proximum, Rigore in Seipſum, Manſuetudine in alios, mirabilis, prænunciato Obitûs ſui Die, inter Amplexus, & Lacrymas, Monachorum Cœnobii ſui de *Cluain-Ednech* (quod quingentos poſt Annos ab irrumpentibus, & Ferro, ac Flamma devaſtantibus Danis, Barbarie pluſquàm Scythica, dirutum fuit, Eccleſia autem ſub Invocatione Beati Fintani in Parochialem Diœceſis Leghlienſis mutata, ſingulari ejus Patrocinio lætatur) feliciter, beatèque obdormivit in Domino, decimo tertio Kalendas Martii, Anno Æræ Chriſtianæ tertio ſuprà ſexcenteſimum, Pontificatûs Sancti Gregorii Magni decimo tertio.

In tertio Nocturno Homil. in Evangel. Dixit Petrus ad Jeſum, *ut in dicto Feſto S. Furſæi, 16 Januarii, Pag 7.*

Miſſa, Os juſti, *ut in Communi Abbatum.*

Die VIII. Martii.

IN FESTO

S. CATALDI,

Episcopi Tarentini (in hodierna Provincia Regni Neopolitani Hydruntina, Natione olim Magnæ Græciæ) & Confessoris, ac Tarentinæ Civitatis Patroni.

Duplex Majus.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter hìc posita.

Hoc Officium desumptum est ex Proprio SS. Archidiecæsis Tarentinæ, fuitque impressum Romæ Anno 1607. *Typis Lepidi Tatii, Superiorum Permissu, agente Illustrissimo Octavio Frangipano Mirto, Archiepiscopo Tarentino.*

[*Qui recitare tenentur nonum Responsorium, illud desumant ex communi. Ad primas autem Vesperas dicere poterunt Responsorium* VI. Iste est.]

Ad Vesperas.

Antiph. Cataldus, *cum reliquis de Laudibus, ac Psalmis consuetis. Capitulum. Hebr.* 5.

FRATRES, omnis Pontifex ex Hominibus assumptus, pro Hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat Dona, & Sacrificia pro peccatis.

HYMNUS.

CAtaldus Pudicitiæ
Flos, & Candoris Lilium,
Sanctitatis, & Gratiæ
Vas, & Honor Fidelium.

Splendens Doctrinæ Radiis,
Virginis Domum fabrificat,
Radiansque Prodigiis,
A Morte functos revocat.

Factus

Factus is Vitæ Speculum,
In Præſulem eligitur,
Pandit Scripturæ Pabulum,
Chriſti Fides erigitur.
Gaude Tarenti Civitas
Tali ditata Corpore,
Cujus mira Suavitas
Infirmos firmat Robore.
Deo Patri ſit Gloria,
Ejuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu Paraclito.
Et nunc, & in Perpetuum.
Amen.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Virum ineffabilem, quem Salvator alloquitur; O Præſulem laudabilem, per quem Fides extenditur; hunc primum ſuſcepit Pontificem Rathanenſis Eccleſia, quem poſteà amabilem Patrem complexa eſt Tarentina.

ORATIO.

PROPITIARE Nobis, quæſumus Domine, Famulis tuis per Beati Cataldi Confeſſoris tui, atque Pontificis, Merita glorioſa; ut ejus piâ Interceſſione ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per Dominum.

Ad Matutinum

Invitatorium: Chriſtum Paſtorum Principem * Venite adoremus.

Hymnus, ut ſuprà in Veſperis.

In I. Nocturno.

Ant. Cantemus, & pſallamus in Feſtivitate Beati Cataldi, qui Fructum ſuum dedit in Tempore ſuo.

Ant. Dum hic Præceptum Domini prædicat Hibernis, Chriſto credunt quamplurimi, Signis datis ſupernis.

Ant. Exaudivit Dominus Sanctum ſuum dum clamaret ad eum, concedens illi, ut Languores curaret.

De Epiſtola Beati Pauli Apoſtoli ad Hebræos. *Cap.* 4 & 5.

LECTIO I.

FESTINEMUS ingredi in illam Requiem, ut ne in idipſum quis incidat Incredulitatis Exemplum. Vivus eſt enim Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni Gladio ancipiti: Et pertingens uſque ad Diviſionem Animæ, ac Spiritûs, Compagum quoque, ac Medullarum, & Diſcretor Cogitationum, & Intentionum Cordis, & non eſt ulla Creatura inviſibilis in Conſpectu ejus: Omnia autem nuda, & aperta ſunt Oculis ejus, ad quem Vobis Sermo. Habentes ergò Pontificem magnum

qui

qui penetravit Cœlos, Jesum Filium Dei ; teneamus Confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati Infirmitatibus nostris : Tentatum autem per omnia pro Similitudine absque Peccato.

Resp. Gaude felix Hibernia, de qua Proles alma progreditur ; quæ Tarento ferens Præsidia, * Bona cuncta sibi consequitur. *Vers.* Felix Hibernia, sed magis Tarentum, claudens in Tumulo grandem Cataldum. * Bona.

Lectio II.

ADEAMUS ergò cum Fiducia ad Thronum Gratiæ, ut Misericordiam consequamur, & Gratiam inveniamus in Auxilio opportuno. Omnis namque Pontifex ex Hominibus assumptus, pro Hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat Dona, & Sacrificia pro Peccatis : Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant : Quoniam & ipse circumdatus est Infirmitate : Et propterea debet quemadmodùm pro Populo, ità etiam & pro semetipso offerre pro Peccatis.

Resp. Sancte Catalde Christi Confessor, audi precantes Servulos, * & impretatam cælitùs Tu defer Indulgentiam. *Vers.* O Sancte Catalde, Vas aureum Domini, Servorum Gemitus solitâ suscipe Clementia. * Et impetratam.

Lectio III.

NEC quisquam sumat sibi Honorem, sed qui vocatur a Deo tanquàm Aaron, sic & Christus non Semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret : Sed qui locutus est ad eum : Filius meus es Tu Ego hodie genui Te. Quemadmodùm & in alio Loco dicit : Tu es Sacerdos in æternum, secundùm Ordinem Melchisedech. Qui in Diebus Carnis suæ, Preces, Supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à Morte, cum Clamore valido, & Lacrymis offerens, exauditus est pro sua Reverentia. Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, Obedientiam : Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, Causa Salutis æternæ, appellatus est à Deo Pontifex juxtà Ordinem Melchisedech.

Resp. Beatus Cataldus, glorioſus Miraculis, pius in Auxiliis, & in Dei Ministeriis, * fidelis extitit Ecclesiæ Tarentinæ Dispensator. *Vers.* Humilis Habitu, pius Affectu,

Affectu, hilaris Vultu. * Fidelis extitit. Gloria Patri. * Fidelis extitit.

In II. Nocturno.

Ant. MINIFICAVIT Dominus Sanctum ſuum, & exaudivit eum clamantem ad Se.

Ant. Gloriabuntur omnes qui diligunt Nomen tuum, Domine, quoniam Tu benedixiſti Juſto.

Ant. Sanctum tuum Domine Gloriâ coronaſti, quem in Confeſſorum Ordine tàm ſublimiter collocaſti.

Ex Petro de Natalibus, Bartholomæo Morono, & vetuſtiſſimis Eccleſiæ Tarentinæ Codicibus, necnon ex Bollando, aliiſque ab eo citatis Scriptoribus, ac ex ſupradicto Proprio SS.

Lectio IV.

CATALDUS Hibernus apud Catandum Momoniæ Oppidum propè Liſmorum honeſtis Parentibus natus, ab Infantia Dei præventus Benedictione, Sanctitatis Indicia præbuit. Adoleſcens liberalibus Diſciplinis eruditus, ad eam Doctrinæ Excellentiam pervenit, ut ad ipſum audiendum Galli, Angli, Scoti, Theutones, aliique aliarum finitimarum Regionum quamplurimi, Liſmorum convenirent. Sed cùm inanem prorsùs duceret Scientiarum omnium Notitiam niſi ſincero Cordis Affectu, ac Pietate in Deum, fulciretur, totum ſe ad Chriſti Cultum, atque Imitationem convertit. Quâ in Exercitatione uſque adeò profecit, ut brevi & Chriſtianis Virtutibus clareſcere, & ingentibus Miraculis coruſcare cæpiſſet. Cùm enim in Honorem Beatiſſimæ Deiparæ Eccleſiam ſummâ Religione fabricari faceret, Puerum, qui in ea Ædificatione confractus expiraverat, Manu ſublevavit, & Patri vivum integrumque reſtituit. Hujus Miraculi Famâ permotus Miles, cui & Filius mortuus fuerat, eum quoque ad Virum ſanctum, dùm in Imo eſſet Fundamenti Eccleſiæ, quod tunc fodiebatur, detulit. Cui Cataldus, nunquid Deus ſum Ego, qui poſſum mortuos vivificare? Sed cum ille perſeverans Feretrum propè Fundamenti Foſſam poſuiſſet, Pulvere Cadaver aſperſum, ſtatim revixit. Quamobrem Miles illicò Regem adit, eique tantum Miraculum nunciat, qui cùm magicis Artibus illud

Illud tribueret, Cataldum comprehendi, & Catenis vinctum in Carcerem trudi, jubet. At noctu duo Angeli per Visum Regi astiterunt, unus ei Mortem propter Cataldum vinctum minitans, alter Veniam promittens, si Ducatum Meltridis Ducis tunc mortui Cataldo donet. Expergefactus Rex, dùm Uxori Visum narrat, Nuncius Mortis Meltridis advenit. Rei Eventu territus Rex, Cataldum illicò solvi, & ad se perduci imperat: Cumque Veniam ab eo petiisset, ipsi Meltridis Ducatum donat, quem in Episcopatum reduxit Cataldus, eundem in duodecim Parochias distribuens.

Resp. Hic est Cataldus electus Dei Pontifex, cui Dominus tantam Gratiam conferre dignatus est *, ut in Virtute Fidei Christianæ mereretur fieri multorum mortuorum mirificus Resuscitator. *Vers.* Induit eum Dominus Loricam Fidei, & ornavit eum. * Ut in Virtute.

LECTIO V.

CUM autem universam Diæcesim suam Rathanensem suâ Prædicatione, & Miraculis illustrasset, Hierosolymam, ut glorioſum Domini Sepulchrum inviseret, profectus est. Peractâ ibi Peregrinatione, cùm Regressum pararet, in Somnis admonitus est, ut Tarentum Salentinorum, ubi Petrus Apostolus, & Discipulus ipsius Marcus, primùm Evangelium prædicaverant, proficisceretur. Divino igitur jussui assentiens, Navim conscendit, qua in Navigatione extincto Nautæ, qui altè ceciderat, Vitam restituit; & maximam Tempestatem, quam anteà prædixerat, Oratione sedavit. Tarentum cum pervenisset, Puellæ mutæ, & surdæ, in Villa Felini, Loquelam, Auditumque reddidit. Cùmque in Porta Civitatis Cæcus à Nativitate occurrisset, eundem, cujusnam Religionis essent Urbis illius Incolæ, Beatus Cataldus interrogat. Cui respon it Cæcus: Patres nostri olim Christiani erant, nunc pauci sunt qui Christi Fidem tenent. Et Sanctus Cataldus: Tu Fili (inquit) Christianus ne es, an Paganus? At ille: Nunquam me aliquis, Here, Christi Fidem docuit. Cui Sanctus Cataldus: Si toto Corde credideris in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & eo Nomine baptizatus fueris, accipies illicò Corporis, & Animæ Charitatem. Respondit Cæcus: Credo Domine, festina me baptizare. Et Beatus

atus Cataldus, acceptâ Aquâ, eum baptizavit. Is cum Homines vidiſſet, compellere eos cæpit ; venite (inquiens) & videte Virum, qui ſacro Baptiſmate Lumen Mihi præſtitit Oculorum. Quò cum plurimi conveniſſent, Beatus Cataldus Ordine cæpit illis Fidem prædicare, quam olim Petrus Apoſtolorum Princeps, & Marcus Diſcipulus, in eadem Urbe prædicaverant. Et cum Hominum Multitudo in Dies ex finitimis Civitatibus Tarentum ad Sanctum Cataldum veniret, ejus Doctrinâ, & Miraculis permoti quamplurimi, Baptiſmi Sacramentum ſuſceperunt.

Reſp. Oritana privata Lumine, Sanctum precans Singultu flebili ; levem Ictum ſentit in Capite, & mox oculorum pulsâ Caligine *, Viſum illa recepit Modo mirabili. *Verſ.* Dominus ſolvit compeditos, Dominus illuminat Cæcos, Dominus erigit eliſos. * Viſum illa.

Lectio VI.

ITAQUE brevi Sanctus Epiſcopus eam Urbem ad Chriſti Fidem perduxit. Clerum ibi inſtituit, Preſbyteros, Diaconos, & aliorum Ordinum Clericos, per Oppida, & Villas ordinavit. In Eccleſia aſſiduus erat ; Viduis, Pupillis, Oppreſſis, & Miſeris omnibus, Ope, Conſilio, non deerat, dùm propterea a Prædicatione Verbi Dei, & Oratione nunquam ceſſaret, Seque totum omni Sollicitudine, & Charitate, Curæ paſtorali impenderet. Igitur cùm diù illi Diæceſi præfuiſſet, & aliquando Infirmitate correptus, ſui Corporis Diſſolutionem imminere cognoſceret, convocatis Clericis, aliiſque probatis Viris, ſic eos allocutus eſt : Scitis, Fratres chariſſimi, me non fortuitò ad hanc Urbem adveniſſe, ſed cùm eſſem Hieroſolymis, dignatus eſt Dominus meus Jeſus Chriſtus in Mandatis Mihi dare, ut ad Civitatem iſtam, ubi Apoſtolus ſuus Petrus, unà cum Marco ejus Diſcipulo, Fidei Fundamenta jecerat, me conferrem. Parui Mandatis, in hanc Urbem veni, priſtinam Fidem jam abolitam, Domino cooperante, reſtitui, nec quidquam ſubterfugi, quominùs Viam Domini demonſtrarem Vobis. Et nunc ſcio quod poſt Mortem meam invadent Vos Hæretici, Lupi rapaces, devaſtantes Gregem. Adversùs hujuſmodi accingite Vos, ſumentes

Arma

Arma Juſtitiæ, & Scutum Fidei, quod eſt Verbum Dei. Poſt Diſceſſum meum, Plebem in Fide confirmate, memores Laborum, & Vigiliarum mearum. Diligite alterutrum, & in Charitate perfecti eſtote, Corpuſculum meum, cùm mortali hac Vitâ functus fuero, in Loco Sancti Joannis in Gallilæa majoris Eccleſiæ, Orientem versùs ſub Terra, Chriſtiano More ſepelite, futuræ illud Reſurrectioni reſervantes. His dictis, & ſuſceptis omnibus, quæ decedentibus conferri ſolent, Sacramentis, beatæ illa Anima Carne ſoluta eſt, octavo Idûs Martii. Deductoque ad Eccleſiam Corpore, magnus eò Concurſus factus eſt Populi, & omnis Generis Languidorum, qui omnes Tactu ſancti Corporis curabantur: Celebratis deindè divinis Officiis, in Loco, per ipſum ſub Terra deſignato, honorificè conditum eſt, conſtructo deſuper miri Operis marmoreo Sepulchro.

Reſp. Iſte eſt, qui ante Deum magnas Virtutes operatus eſt, & Tarentina Civitas ejus Doctrina eſt repleta * Ipſe intercedat pro Peccatis Populorum ſuorum. *Verſ.* Cataldus Epiſcopus migravit à Sæculo, Cœlum lætus ingreditur, Hymnis cæleſtibus honoratur. * Ipſe intercedat. Gloria Patri. * Ipſe intercedat.

In III. Nocturno.

Ant. Hic vivens ſine Macula nil carnale concupivit, idcircò Tabernacula Cœli lætus introivit.

Ant. Magna eſt Gloria ejus in Chriſto ſuo Salutari, cujus præventus Gratiâ meruit exaltari.

Ant. Innocens iſte Manibus fuit, & ſine Dolo; quia totis Præcordiorum Affectibus intentus erat Polo.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Matthæum. *Cap* 25.

Lectio VII.

IN illo Tempore: Dixit Jeſus Diſcipulus ſuis Parabolam hanc: Homo peregré proficiſcens, vocavit Servos ſuos, & tradidit illis Bona ſua. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambroſii Epiſcopi.

Lib. 2. de Vocat. Gent. Cap. 2. poſt Med.

DATUR unicuique ſine Merito, undè tendat ad Meritum; & datur antè ullum Laborem, undè quiſquam Mercedem accipiat ſecundùm ſuum Laborem. Quod ità eſſe Evangelicæ Veritatis Teſtimonio agnoſcitur, ubi per Comparationem dicitur, quòd Homo peregrè

grè proficiſcens vocavit Servos ſuos, & tradidit illis Subſtantiam ſuam, & uni dedit quinque Talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique ſecundùm propriam, & naturalem Poſſibilitatem, non autem ſecundùm proprium Meritum: Quia aliud eſt poſſe operari, aliud operari: & aliud eſt poſſe habere Charitatem, aliud habere Charitatem.

Reſp. Cum quædam Mulier diuturnis Brachiorum Doloribus laboraret, ut ad Beati Viri Corpus acceſſit, * mox ſalva facta Nomen Domini glorificavit. *Verſ.* Lætiana quædam paupercula languens Morbo frenetico, Sancti Sepulchro dum fixit Oſcula. * Mox ſalva.

LECTIO VIII.

NON itàque omnis reparabilis reparatur, nec omnis ſanabilis ſanatur; quia reparabilem, & ſanabilem eſſe, de Natura eſt; reparatum autem, & ſanatum eſſe, de Gratia eſt. Denique iſti, quibus ſecundùm Modulum Capacitatis ſuæ, quem in eis Diſtributor Subſtantiæ prævidebat, diſpar creditus eſt Numerus Talentorum; non Meriti Remunerationem, ſed Operis accipere Materiam.

Reſp. Ecce Sacerdos magnus, qui ab Adoleſcentia ſua, meruit Infirmos curare * Dedit illi Dominus mortuos ſuſcitare, Cæcos illuminare, & Dæmones effugare. *Verſ.* Multi, qui Spiritus habent immundos, Salutem ad Sepulchrum ejus conſequuntur. * Dedit illi. Gloria Patri. * Dedit illi.

LECTIO IX.

IN qua duorum Servorum vigilantiſſima Induſtria, non ſolùm glorioſis Laudibus honeſtatur, ſed etiam in æterna. Domini ſui Gaudia intrare præcipitur. Tertii verò pigrum Otium, & deſidioſa Nequitia ſic punitur, ut & Vituperationis dedecoretur Opprobrio, & Portione, quam acceperat, exuatur. Dignus enim erat perdere inutilem Fidem, qui non exercuerat Charitatem.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas.

Ant. Cataldus Præſul inclytus, cæleſti Dono prævenitus ab Infantia, placuit Deo, & inventus eſt juſtus. *Pſalmi conſueti.*

Ant. Fultus Chriſti Præſidio, Scientiâ excelluit; & conſervans Legem Excelſi, Miraculis coruſcavit.

Ant. Factus Pontifex crevit in Plebem ſuam, & viſo Domini Sepulchro, Tarentum advenit.

Ant. Reduxit Populum ad Chriſti Fidem, & Clericos ordinavit, qui Domino benedicerent in æternum.

Ant. Migrans è Mundo Servus fidelis Tarenti ſepelitur, qui intravit in Gaudium Domini ſui.

Capitulum: Fratres, *ut ſuprà in Veſperis.*

HYMNUS.

PANGE Lingua mirifici
Confeſſoris Præconium,
Qui Nos Prece multiplici
Ducat ad Cœli Gaudium.
Cataldus, cujus hodie
Recolitur Memoria,
Jam revelatâ Facie
Regem cernit in Gloria.
Hic mortuos reſuſcitat,
Viſumque Cæcis tribuit;
Hic Dæmones ſuppeditat,
Linguas Mutorum acuit.
Quæ Vox, quæ Lingua, promere
Tot admiranda ſufficit?
Nam verſu cuncta ſtringere
Vox inexperta deficit.
Deo Patri ſit Gloria,
Ejuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc, & in perpetuum
Amen.

Ad Benedictus, Antiphona.

TANTUS Odor ex Viri Dei Membris egrediebatur, ut ad illa, tanquam ad ſuaviſſima Aromata, omnis Populus accurreret Tarentinus.

Ad Tertiam, Capitulum ut ſuprà in Veſp.

Ad Sextam, Capitulum. Hebr. 5.

NEC quiſquam ſumat ſibi Honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron; ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es Tu, Ego hodie genui Te.

Ad Nonam, Capitulum. 1 *Pet* 5.

PASCITE, qui in Vobis eſt, Gregem Dei; providentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundùm Deum; neque turpis Lucri Gratiâ, ſed voluntariè; neque ut dominantes in Cleris, ſed Forma facti Gregis ex Animo.

Ad

Ad Magnificat, Antiphona.

CATALDE Ros, & Lilium, Fons veræ Sapientiæ, mirande Flos Convallium, implora Regem Gloriæ, ut poſt præſens Exilium, jam revelatâ Facie cernamus Dei Filium.

Miſſa, Statuit, *ut in Communi Confeſſoris Pontificis.*

Die XVIII. Martii.

IN FESTO

S. FRIGIDIANI,

Epiſcopi Lucenſis (in Etruria, ſeù Thuſcia) & Confeſſoris, Lucenſiſque Civitatis Patroni.

Duplex Majus.

Omnia de Communi Confeſſoris Pontificis, præter hìc poſita.

Hoc Officium deſumptum eſt ex Proprio SS. Eccleſiæ Abbatialis Lucenſis S. Frigidiani, Canonicorum Regularium Lateranenſium.

[*Qui recitare tenentur nonum Reſponſorium, illud deſumant ex Communi. Ad primas autem Veſperas dicere poterunt Reſponſorium* VI. Stirpe clarus.]

Ad Veſperas.

Antiph. Æſtuabat Frigidianus, *cum reliquis de Laudibus, ac conſuetis Pſalmis.*

Capitulum. Eccli. 50.

ECCE Sacerdos magnus, qui in Vita ſua ſuffulſit Domum, & in Diebus ſuis corroboravit Templum: Templi etiam Altitudo ab ipſo fundata eſt, duplex Ædificatio, & excelſi Parietes Templi.

HYMNUS.

O Germen Jeſſe Virgulæ,
Te celebramus Laudibus,
Quod Frigidiano Præſule,
Affulſit Lux Lucenſibus.
Canamus læti Canticum
Deoque ſonet Gloria,
Per quem, Virum ſanctiſſimum
Felix vidit Ætruria.
Hic Saxi Molem tranſtulit,
Quò volebat cum Clericis,
Quam nullo Loco potuit
Movere Vis Artificis.
Agrum ſtagnabat intumens
Lucenſem, Flumen Anſeris,
Terræque ſata deſtruens,
Damna ferebat Incolis.
Paſtor, implorans Numinis
Opem, ſpectante Populo,
Divertit Undas Fluminis,
Tacto per Terram Raſtulo.
Mitis, prudens, & ſobrius,
Signis refulſit plurimis,
Et Meritorum Fructibus
Plenus gaudet cum Angelis.
Per Te canenti, quæſumus,
Chori hujuſce Cætui
Det ſua Dona Spiritus,
Cælique Bonis perfrui.
Sit Laus Patri Domino,
Nato perennis Gloria,
Jugis Honor Paraclito
In Sæculorum Sæcula.
Amen.

Verſ. Ora pro Nobis Beate Frigidiane.
Reſp. Ut digni efficiamur Promiſſionibus Chriſti.

Ad Magnificat, Antiphona.

GRATA Proles Regis Ultoniæ, ſpretâ Mundi Pompâ Militiæ, ad Romanæ Lumen Eccleſiæ, pergit nitens Corporis Specie.

ORATIO.

SANCTI Frigidiani Confeſſoris tui, atque Pontificis, quem innumeris decoraſti Miraculis, Solemnia recenſentes, Te Domine ſuppliciter exoramus, ut ejus Meritis, & Interceſſione, perpetuum Salutis capiamus Auxilium. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invitatorium: VENITE adoremus Angelorum Regem * Qui Sanctum Frigidianum dedit Nobis Præſulem.

Hymnus, ut ſuprà in Veſperis.

In I. Nocturno.

Ant. Frigidianus Ætate vigente, Sæculo floruit Corporis Formâ, cælicâ Mente Deo emicuit.

Ant:

Ant. Clarus erat Doctrinis, ſacris pollens Eloquiis, Genitorum Proles illuſtrium, Moribus clariſſimus.

Ant. Mundo deflorens, Chriſto refloruit; caduca reſpuens, Regnum abhorruit, Dei afflatus Gratiâ.

Verſ. Amavit eum Dominus, & ornavit eum. *Reſp.* Stolam Gloriæ induit eum.

Lectiones de Apoſtolo Paulo: Fidelis Sermo, *ut in Communi.*

Reſp. I. Sedem adit Summi Pontificis, imbuendus Doctrinæ Monitis: * Vir illuſtris præclaris Titulis, Genere, Moribus, & Decore. *Verſ.* Munere Pontificis ditatur, ſacris Chariſmatibus ornatur. * Vir illuſtris.

Reſp. II. Vexat Aulam cæleſtis Ultio, languent Cives Scelere regio, orat Præſul, ceſſat Vexatio: * Et Salus redditur. *Verſ.* Frigidianus Regi compatitur, Aquâ ſacrâ Morbus repellitur. * Et Salus.

Reſp. III. Alma Patris Filia moritur, pius Frater in Preces ſternitur, ſic Dolori Patris conſulitur, * Dum reſuſcitatur. *Verſ.* Languens Morbo dùm Caro deficit, Mens Amoris Languore proficit, * Dum reſuſcitatur. Gloria Patri. * Dum reſuſcitatur.

In II. Nocturno.

Ant. SÆculari relicto Ambitu, Gloriam abjicit; regulari pauper in Habitu, Chriſto ſe ſubjicit.

Ant. Jam provectus Virtutum Studiis, Paſtor efficitur, crucifigens Carnem cum Vitiis, Chriſto configitur.

Ant. Prophetiæ Spiritum accipit Spretor terreſtrium, dum conformis jam incipit eſſe Vitæ cæleſtium.

Verſ. Elegit eum Dominus Sacerdotem ſibi. *Reſp.* Ad ſacrificandam ei Hoſtiam Laudis.

Ex vetuſtiſſimis Eccleſiæ Lucenſis, & Carthuſiæ Colonienſis, Codicibus; necnon ex S. Gregorio Magno, S. Ænguſſio, Baronio, Galeſino, Ferrario, Molano, Capgravio, Bollando, aliiſque claris Scriptoribus.

Lectio IV.

FRigidianus Hultachii, Regis Ultoniæ, Filius, Myſteriis Chriſtianæ Religionis à Puero imbutus, & ſalutari Lavacro, inſciis Parentibus, regeneratus, tanto Fidei Ardore ſuccenſus fuit, ut ob Chriſti Amorem Adoleſcens ex remotiſſimis Regionibus Romam uſque peregrinari

nullatenùs formidaret. Ibi à Pelagio Primo honorificè ſuſceptus, Clericus ordinatus eſt, & inter Canonicos Eccleſiæ Lateranenſis conſtitutus, cum quibus per aliquod Temporis Spatium converſatus, regularis illorum Inſtituti Rationem optimè aſſecutus eſt. In Patriam deindè reverſus, cùm illum Parentes Infideles ad Idolorum Cultum revocare niterentur, Conjugiumque inire ſuaderent; e contrario accidit, agente divinâ Gratiâ, ut illos, relictâ Idolatriæ Impietate, ad Chriſti Fidem converteret, quos, propriâ Sorore coram eis ex mortuis ad Vitam revocatâ, in eadem Fide mirabiliter confirmavit. Cùm autem plurimi ad eum Inſtructionis Causâ confluerent, id ægrè ferens Mugentius quidam, olim Sancti Juvenis Præceptor, habitô cum Impiis Conſiliô, Virum Dei, ad Eccleſiam pro matutinis Horis de More properantem, obtruncari mandavit. Verùm Deo diſponente, Frigidianus eâ Nocte Domo non egrediens, incolumis evaſit, ipſeque Mugentius incidit in Foveam, quam fecerat. Eo ſiquidem ad Locum Sceleri deſtinatum accedente, ut videret an eſſet completum, Sicarii ipſum Frigidianum eſſe exiſtimantes, Securim Capiti ejus infigentes, Fugam arripuerunt. Mugentius autem Facti pœnitens è vivis exceſſit, ejuſque Corpus a Beato Frigidiano Sepulturæ traditum eſt.

Reſp. Sacri Verbi Facundiâ profluxit, Prophetiæ Spiritu illuxit, * Dum occulta Funera produxit Famuli defuncti. *Verſ.* Mortuum ad Vitam revocat, ut ſuæ Saluti conſulat. * Dum.

Lectio V.

INdè recedens, Monaſterium extruxit, & in eo Canonicos, juxtà Regulam Romæ acceptam viventes, conſtituit, & cum illis, aliquamdiù ſanctiſſimè vixit, factus eorum Paſtor, & Rector. Accidit autem, ut Rex Orgiellæ Regionis in Ultonia Bona quædam Eccleſiæ Vi occupata dimittere nollet, quinimmò Clericos, ipſumque Dei Servum, illa expoſcentes, Contumeliis affectos à ſe repelleret, ſed ejus Miniſtris, quorum Conſilio Eccleſiaſticos Proventus invaſerat, lentâ Tabe ad Mortem languentibus, Rex Timore perterritus, omnia Eccleſiæ Bona reddidit, pro ſuorum Incolumitate Sanctiſſimum Præſulem exorans, quos ille, Aquâ in Nomine Sanctæ Trinitatis

Trinitatis benedictâ reſperſos, priſtinæ Sanitati ſtatim reſtituit. Porrò longè latèque diffusâ Sanctitatis, & Miraculorum ipſius, Famâ (nam prætereà & cujuſdam Epiſcopi Famulum defunctum ad Vitam revocavit, & Oratione Montem aperuit, ut Molendino Aquam pararet) ut Laudis humanæ Auram declinaret, in Italiam reverſus, Lucam ivit, ubi ſuaviſſimum beatæ Converſationis Odorem diffundens, expoſcentibus omnibus Civibus, ejuſdem Urbis Epiſcopus eſt ordinatus. Illo ſuſcepto Munere, divinum Cultum adeò amplificavit, ut intrà viginti viginti octo Annorum ſpatium, quibus Epiſcopalem tenuit Sedem, viginti octo Eccleſias baptiſmales ædificaret Quarum illa præcipua extitit, quæ in Honorem trium Sanctorum Levitarum dicata, nunc Sancti Frigidiani dicitur, ad quam ædificandam Saxum ingens, quod multi Homines Loco movere non potuerant, nullo Labore tranſtulit, quod hodie quoque in eadem Eccleſia ob Facti Memoriam ſervatur.

Reſp. Si quæris Miracula, ſcindit Montis Viſcera, Mortis frangit Vincula, arcet Morbi Vulnera, * Et Anſeris Pericula. *Verſ* Transfert Saxi Pondera, Laci frænat Impetum. * Et Anſeris.

Lectio VI.

ILLUD etiam mirabile Memoriæ traditum eſt, quod beatiſſimus Antiſtes cùm non haberet undè Operariis ejuſdem Eccleſiæ ſatisfaceret, centum Solidos à quodam Divite è Pago Moriani mutuos propoſcit, ille autem cum Juramento negavit talem apud ſe Pecuniam extare. Sed cùm Domum reverſurus Flumen trajiceret, Marſupium cum centum Solidis, è Sinu nihil perſentientis elapſum, ingens Piſcis abſorpſit, quem nonnulli Piſcatores, Sancti Epiſcopi Familiares, Retibus captam eidem obtulere, in ejuſque Ventre Marſupium cum Nummis repertum Frigidianus Diviti reddidit. Ejuſdem præclariſſimi Viri apud Deum Merita illud etiam inſigne Miraculum oſtendit, quod beatus Gregorius in ſuis commemorat Dialogis. Cùm enim Flumen Anſeris Agrum Lucenſum frequenter inundans, plurimum Damni Incolis afferet, poſt Orationem tacto Raſtro per Terram Flumen aliò divertens, Agrum ab Inundatione liberavit. Demùm, multis tranſactis Laboribus, dives Meritorum,

& plenus Dierum, feliciter in Domino requievit circà Annum Redemptoris quingenteſimum nonageſimum quintum. Ejus Corpus in præfatâ trium Levitarum Eccleſia tumulatum, cùm Temporibus Caroli Magni Cadaver Puellæ nobilis illi ſuperpoſitum tetigiſſet, illicò Puella reviviſcens: Tollite me hinc, exclamat, quia ſuprà Corpus Beati Frigidiani me poſuiſtis. Quibus dictis iterùm obdormivit. Et ità factum eſt, ut Corpus quod Annis fermè ducentis occultum manſerat, Miraculo revelatum, in ſumma Veneratione habetur, & ſub Ara majori dictæ Eccleſiæ cernitur. Cujus Dies Inventionis decimo quarto Kalendas Decembris à Lucenſibus cum Octava celebratur.

Reſp. Stirpe clarus Frigidianus, clarus Magiſterio, Raſtrum trahens, imperavit intumenti Fluvio: * Morbos fugat, reddit Vitæ Mortuos, Imperio. *Verſ.* Format Mores, fundat Eccleſias baptiſmales multas, & varias. * Morbos. Gloria Patri. * Morbos.

In III. Nocturno.

Ant. BONUS Odor Sancti Præſulis ad omnes tranſiit, undè invitus ſacri Regiminis Honorem ſubiit.

Ant. Conſolator Infirmorum, Cleri Gubernator, Norma Morum, Plebis Rector, Pauperum Amator.

Ant. Verba Vitæ diſpenſabat facundo Sermone, Filiorum Vitam regebat in Dilectione.

Verſ. Tu es Sacerdos in æternum. *Reſp.* Secundùm Ordinem Melchiſedech.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Marcum. *Cap.* 11.

Lectio VII.

IN illo Tempore: Reſpondens Jeſus Diſcipulis ſuis, ait illis: Habete Fidem Dei. Amen dico Vobis, quia quicunque dixerit huic Monti, tollere, & mittere in Mare, & non hæſitaverit in Corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chryſoſtomi. 58 *in Matth.*

SI quiſpiam dicet: Et quandò Montes tranſtulerunt? Reſpondebimus quia multo majora fecerunt, multos enim mortuos excitaverunt, æquale quippè non eſt, Montes tranſponere, & Animam Hominis revocare. Dicunt autem nonnulli, poſteà Sanctitate illis multò minores, id, Re poſtulante, feciſſe.

Reſp.

Resp. Lucanus Præsul ad Cœli Solium elevatus de Valle flentium, * Nobis impetret à Patre Luminum perenne Gaudium. *Vers.* Angelorum Choris psallentium junxit Deus Patrem egregium. * Nobis.

Lectio VIII.

UNdè patet, quia, si Opus fuisset, Montes quoque transtulissent. Ideò non dixit, transponetis omninò Montes, sed, transponere poteritis. Si autem non fecerunt, non est Argumentum Impotentiæ, majora enim ab ipsis facta, non ignoramus; sed quoniam Res non postulaverat, noluerunt. Quamvis possit etiam aliquid tale Factum esse, & non scriptum, non enim omnia Miracula Sanctorum conscripta sunt.

Resp. Corpus in Terra latuit, ignoto clausus Loculo, sed quò jaceret docuit resurgens Virgo nobilis * Clarissimo Miraculo. *Vers.* Lucana Plebs exultat, & Præsulis Reliquias veneratur inventas. * Clarissimo.

Lectio IX.

NONNE igitur, inquies, tantam Fidem tunc habebant? Non certè; ità enim imperfectiores erant, ut non semper iidem essent. Undè Petrus quoque modò beatificatur, modò increpatur; & reliqui quasi amentes castigantur, cum Sermonem de Fermento non intellexerint. Sic ergò & nunc ex Imperfectione ipsorum accidit, ut majore Infirmitate languerent, quod sæpiùs antè Crucem patiebantur.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas.

Ant. ÆStuabat Frigidianus Cœli Fontem sitiens, Senectute tandem canus jam dissolvi cupiens. *Psalmi consueti.*

Ant. Vitam probat Austeritas, Zelus, & Disciplina, Modestia, & Charitas, puraque Doctrina.

Ant. Christo junctus in intimis, Mariæ vacat otio; forisque vigil Proximis, deservit Marthæ Studio.

Ant. Piscis reddens Æs perditum, & graves Aquæ Gurgites, Sancti collaudent Meritum, Cœli Terræque Milites.

Ant. Jam Cœli gaudens Canticis, Pater dormit cum Patribus; jam jubilat Hymnodicis, junctus in Cœli Cu tibus.

Capitulum:

Capitulum : Ecce Sacerdos, *ut ſuprà in Veſperis.*

HYMNUS.

CÆTUS exultans Laudibus
Dei ſurgente lucido,
Devotis canat Mentibus,
Sanctiſſimo Frigidiano.
Splendor, & Lux Antiſtitum,
Grande Decus Ultoniæ,
Gaudet in Aula Cœlitum,
Stolâ refulgens Gloriæ.
Carnis exutus Vinculo
Cœli Sedes obtinuit,
Qui vivens in hoc Sæculo,
Terrena cuncta reſpuit.
Gaude, plaude, cum Jubilo
Hoc decorata Præſule,
Lucana Plebs, & Modulo
Dulci canant Cœlicolæ.
Tu verò junctus Angelis,
Servata Luca libera,
Nobis ſuccurre miſeris,
Et dona Pacis Fœdera.
Bella relega ad Inferos,
Et arce Mortis Vulnera,
Da poſſidere Servulos
Cœli beata Munera.
Solve Captivis Vincula,
Compeſce Vires Dæmonum,
Contrà Mundi Pericula,
Eſto ſemper Auxilium.
Præſtet hoc Nobis Genitor,
Et Genitoris Filius,
Simulque Rerum Conditor,
Ab his procedens Spiritus.
Amen.

Verſ. Juſtum deduxit Dominus per Vias rectas.

Reſp. Et oſtendit illi Regnum Dei.

Ad Benedictus, Antiphona.

Super Plebes Lucanas poſitus, ut Lucerna Pontifex inclytus, ardens lucet per Dona Spiritûs ad Chriſti Gloriam.

Ad Tertiam, Capitulum ut ſuprà in Veſp.

Reſp. Amavit eum Dominus, * Et ornavit eum. * Amavit. *Verſ* Stolam Gloriæ induit eum. * Et ornavit eum. Gloria Patri. * Amavit.

Verſ. Elegit eum Dominus Sacerdotem ſibi. *Reſp.* Ad ſacrificandam ei Hoſtiam Laudis.

Ad Sextam, Capitulum. Eccli. 50.

In Diebus illis emanaverunt Putei Aquarum, & quaſi Mare adimpleti ſunt ſuprà Modum, qui curavit Gentem ſuam, & liberavit eam à Perditione.

Reſp. Elegit eum Dominus * Sacerdotem Sibi. * Elegit. *Verſ.* Ad ſacrificandam ei Hoſtiam Laudis. * Sacerdotem Sibi. Gloria Patri. * Elegit.

Verſ.

Verſ. Tu es Sacerdos in æternum. *Reſp.* Secundùm Ordinem Melchiſedech.

Ad Nonam, Capitulum. Eccli. 50.

Quaſi Stella matutina in Medio Nebulæ, & quaſi Luna plena in Diebus ſuis: & quaſi Sol refulgens, ſic iſte effulſit in Templo Dei.

Reſp. Tu es Sacerdos * in æternum. * Tu es. *Verſ.* Secundùm Ordinem Melchiſedech. * In æternum. Gloria Patri. * Tu es.

Verſ. Juſtum deduxit Dominus per Vias rectas. *Reſp.* Et oſtendit illi Regnum Dei.

Ad Magnificat, Antiphona: Super Plebes, *ut ad Benedictus.*

Miſſa, Statuit, *ut in Communi Confeſſoris Pontificis, præter Evangelium, quod invenire eſt in Miſſa S. Gregorii Thaumaturgi, ad Diem* 17 *Novembris.*

Die XX. Martii.

IN FESTO

S. CUTHBERTI,

Epiſcopi Landisfarnenſis (in Anglia) & Confeſſoris.

Duplex Majus.

Omnia de Communi Confeſſoris Pontificis præter hìc poſita.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Beatum Cuthbertum Confeſſorem, atque Pontificem, Populo tuo præeſſe, & quibus præerat, verbo, & Exemplo prodeſſe voluiſti: Eodem intercedente, Paſtores Eccleſiæ tuæ, cum Gre-

Gregibus ſibi commiſſis, dirige in Viam Salutis æternæ, ut omnes, Te donante, Tibi placita cupiant, & totâ Virtute perficiant. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno Lectiones ut in Feſto S. Cataldi, Die 8 Martii, Pag. 19.

In II. Nocturno.

Ex Ven. Beda, Arnoldo Wion, Capgravio, Surio, Bollando, aliiſque probatis Auctoribus, & ex variis Breviariis.

Lectio IV.

CUTHBERTUS, Britanniæ Thaumaturgus, regio Hibernenſium ortus Sanguine, Patre Muriardacho, Matre Sabina, Kennanuſiæ (quam hodie *Kells* dicimus, in Agro Midenſi) Anno reparatæ Salutis ſexcenteſimo trigeſimo quinto natus eſt. Mater Peregrinationis ergò Romam proficiſcens, ipſum adhuc Adoleſcentem, Chriſto ſoli famulaturum, in Mailroſenſi Cœnobio ad Ripam Tinidis (ſeù Twedæ) Fluminis, in Angliæ, Scotiæque Confiniis, reliquit, & Eatæ Abbatis, Scientiâ Scripturarum divinarum ſimul, & Præceptorum cæleſtium Obſervantiâ, præclari, Diſciplinæ ſubdidit. Vix ex Ephebis egreſſus, Monachum ibidem induit ſub Regula Sancti Columbæ Abbatis Hyenſis, quæ in reliquis etiam à Cuthberto poſtmodùm luſtratis Cœnobiis obſervata fuit. Poſt Annos quatuordecim Eatam ſecutus eſt ad Landiſfarnenſem antiqui Northumbriæ Regni Abbatiam, in Loco ejuſdem Nominis, quam, Inſulam ſacram, ob ſanctorum Monachorum Habitationem, vocant, qui accedente, & recedente Rheumate (inquit Venerabilis Beda) bis quotidie, inſtar Inſulæ, Maris circumvolvitur Undis, & bis renudato Littore contiguus Terræ cernitur. Monaſterii Landisfarnenſis Præpoſitus factus, Officium illud duodecim Annorum Spatio magna cum Laude adminiſtravit; Regionibus intereà circumvicinis Fidem Catholicam maximâ Sedulitate, nec minori Fructu, prædicans, veræque Pietatis, tàm Verbo, quàm Exemplo, aliis Magiſter factus, non ſolùm Northumbriæ Regnum, ſed & univerſam, quà latè patet, Britanniæ Inſulam, ſuo Splendore illuſtrans.

Lectio

Lectio V.

RELICTO Landisfarnenſi Cœnobio, Farnen Inſulam parvam (quæ Rupes horrida eſt haud procùl à Landisfarneâ Inſulâ ſita, altiſſimo Oceano incluſa) ſe contulit, ubi Precibus, & divinarum Rerum Contemplationi Novennio ferè ſolus vacavit. Anno autem ſexcenteſimo octuageſimo quarto, habitâ ad Twiſordiam in Northumbria plurium Epiſcoporum Synodo, præſente Egfrido Northumbrorum Rege, decretum eſt, ut Haguſtaldenſis Sedes Cuthberto regenda committeretur in Locum Tumberti, qui ab Epiſcopatu fuerat exauctoratus. Multis hac de Re Legatis ſimul, ac Literis Eremita Sanctiſſimus interpellatus, à ſolitaria Vita trahi non potuit, donec Rex ipſe Egfridus, & Sanctus Trumvinus Pictorum Epiſcopus, cum pluribus religioſis, ac potentibus Viris, Inſulam Farnen adnavigantes, Animum ejus expugnarent. Sed quoniam ipſe plus Landisfarnenſi Eccleſiæ, in qua converſatus fuerat, dilexit præſici, placuit, ut Eatâ reverſo ad Sedem Eccleſiæ Haguſtaldenſis (cui regendæ primò fuerat ordinatus) Cuthbertus Eccleſiæ Landisfarnenſis Gubernacula ſuſciperet. Porrò conſecratus eſt apud Eboracum à Sancto Theodoro, Cantuarienſium Antiſtite, ſeptimo Kalendarum Aprilis, ipſo Die Paſchæ, aſſiſtentibus ſeptem Epiſcopis, & præfato Rege adſtante. Annis poſteà duobus in Pontificali Munere exactis, ſciens in Spiritu Diem appropinquare ſui Tranſitûs, dimiſſo Epiſcopatu, repetiit Inſulam Farnen, ubi elapſis tribus Menſibus ægrotare cœpit, & tribus Hebdomadibus decumbens, ingraveſcente Morbo, Feria quarta poſt mediam Quadrageſimam, inſtante nocturnæ Orationis Tempore, perceptis Sacramentis ſalutaribus, Vitam mortalem cum immortali commutavit, tertio decimo Kalendarum Aprilis, Anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ſexto, Ætatis ſuæ quinquageſimo primo, Joanne Quinto Summo Pontifice.

Lectio VI.

INNUMERA ſunt, Teſte Venerabili Beda, Miracula ab ipſo in Vita, & poſt Mortem patrata. Id præ omnibus certò conſtat, Corpus ejus multis poſt Sepulturam Sæculis incorruptum permanſiſſe. Imprimis namque cùm à Morte ſua elapſis undecim Annis acceſſerint

Landisfarnenſes ad Tumulum, ut ſacra inde Oſſa elevarent, & in honeſtiori Loco aſſervanda deponerent, aperientes Sepulchrum, invenerunt Corpus totum, quaſi adhuc viveret, planè integrum, cum Veſtimentis omnibus, quibus indutum fuerat, quæ non ſolùm intemerata, verùm etiam priſcâ Novitate, & Claritudine miranda patebant. Qua de Re admonitus Eadbertus Antiſtes, qui Cuthberto in Epiſcopatu ſuffectus fuerat, ſacrum Corpus ex Farne Inſula Landisfarniam tranſtulit, & in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli ad Dexteram Altaris in marmoreo Sacrofago ſolemni Pompâ repoſuit. Poſteà verò, irrumpentibus in Britanniam ferocibus Danis, tranſlatum eſt ad Riponenſem Eccleſiam (in cujus Cœnobio, ab Eata fundato, aliquamdiù vixerat) Anno nongenteſimo quadrageſimo octavo, &, poſt quatuor duntaxat Menſes, Dunelmum, ſive Durham, iterumque ibidem in novam Thecam Anno milleſimo centeſimo quarto, quando ob quorundam Incredulitatem oſtenſum eſt à Rodulpho Sangarienſi Abbate, poſtmodùm Cantuarienſi Archiepiſcopo, & Fratribus Dunelmenſis Eccleſiæ, certo Indicio incorruptum, & ità flexibilibus Artubus, ut magis dormienti, quàm mortuo, ſimile videretur. Eò autem convenire ſolebant Religionis, & Voti Causâ Peregrini ex univerſa Britannia, aliiſque Regionibus, uſque ad Tempora Henrici Octavi.

In tertio Nocturno Homil. in Evang Homo peregrè, *ut in Feſto S. Cataldi Die* 8 *Martii, Pag.* 24.

Miſſa, Statuit, *ut in Communi Confeſſoris Pontificis.*

Die

Die XXVII. Martii.

IN FESTO

S. RUPERTI,

Vagionum, ſivè Wormatienſium, deindè Saliſburgenſium (in Germania Superiori) primi Epiſcopi, & Confeſſoris, Bavarorum, atque Noricorum Apoſtoli.

Duplex Majus.

Omnia ut in Communi Confeſſoris Pontificis præter hìc poſita.

ORATIO.

DEUS, qui Bavarorum, & Noricorum Gentibus, mirâ Beati Ruperti Confeſſoris tui, atque Pontificis Prædicatione, Veritatis tuæ Lumen oſtendiſti eaſque in Viam Juſtitiæ venire tribuiſti: Concede Nobis ejus Interventu, ut Mundi hujus Tenebris carere valeamus, & perveniamus ad Patriam Claritatis æternæ. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno Lectiones ut in Feſto S. Cataldi, Die 8. hujus, Pag. 19.

In II. Nocturno.

Ex Arnone Epiſcopo Salisburgenſi, Petro de Natalibus, Cornelio Grafio, Arnoldo Wion, Petro Galeſino, Baronio, Surio, Bollando, Molano, aliiſque claris Auctoribus; necnon ex variis Menologiis, & Proprio SS. Diæceſum Salisburgenſis, Viennenſis, Herbipolenſis, ac Friſingenſi.

LECTIO IV.

RUPERTUS, regio Sanguine clarus, utpotè ex regalibus Hibernorum, & Francorum Regum Proſapiis Originem ducens, in Scotia Veteri, ſeù Hibernia,

Anno quingenteſimo trigeſimo ſeptimo progenitus fuit, atque à Sancto Patritio, Divi Patritii Magni Hibernicæ Gentis Apoſtoli, ex Fratre Nepóte, baptizatus, ac Literis ſacris imbutus. Hic ubi adolevit, in Deum Mentem omnem convertit, & non Sibi, ſed Utilitati Hominum, ac Honoris divini, conſulere ſtatuit. Aſſumpto itaque Trudberto Fratre ſuo, necnon Erentrude Sorore, ſpretis omnibus, poſthabitis Voluptatibus, Nataliſque Soli Blanditiis, & Honoribus, pari Voto, parilique Conſenſu, Patrem relinquentes, & Patriam, exules eſſe decernunt in Terris, ut Cives Sanctorum, & Domeſtici Dei, in Cœlis fieri mereantur. Romam peregrinantur, ubi viſitatis principalium Eccleſiæ Columnarum, Beatorum Petri, & Pauli, Liminibus, divinitûs edocti ſunt, quæ Loca requirere, & inhabitare debent, non Sibi ſolummodò, ſed & plurimis profecturi. Idcircò, qui jampridem Parentes, Patriamque deſerentes, quique tenaciſſimo unius Fidei Nexu cohæſerant, & Affectu, Seſe quoque alter alterum derelinquere, Spiritûs Sancti dirigente Imperio, ac per Loca ſejungi diſtantia, ſtatuunt. Valedicentibus itaque Sibi Germanis, non ſine Singultibus Lacrymarum, Sanctus Trudbertus, peragratis Italiæ Finibus, Iter ſuum ad Flumen uſque Rheni direxit, & Partes aliquot Alemanniæ tranſiliens, Vallem quandam, quæ Biſgoia, ſivè Briſgaudia, dicitur, in Rauracorum Finibus propè Heryniam Sylvam, petiit, ubi triennali Spatio Angelicam ducens Vitam, Locum illum ſacri Sanguinis Rore decoravit, Martyrio ſcilicet laureatus. Rupertus verò, aſſumptâ Entrude Sorore, ſecùs Alveum ejuſdem Fluminis deſcendens, Wormatiæ Fines futurus Antiſtes, & Paſtor ingreditur, ubi non multo poſt, ne Lucerna lateret ſub Modio, ſuper Candelabrum Cathedræ, favente Childeberto Secundo, Francorum Auſtraſiorum Rege, ſublimatur, & Vagionum (qui hodie Wormatienſes ſunt) Epiſcopus conſecratur. Ibi Animi Manſuetudine, Caſtitate, divinarum Precum Studio, Jejuniis perpetuis, aſſiduâ Vigilantiâ, Miſericordiæque Officio egregius, Populo ſibi commiſſo optimè vivendi Magiſtrum ità ſe præbuit, ut quod Verbis moneret, ſanctè Factis exprimeret.

Lectio V.

CUM autem pro Munere ſuo Verbum Dei indeſinenter prædicans, Legem Chriſtianam urgeret, boniſque Cœli Spem oſtenderet, perditis verò æterna Flammarum Incendia minaretur, id ægrè ferebat corruptiſſimus quiſque, maximè Comes quidam Paganus, Nomine Bertharius, qui in Childebertum, ejuſque Regnum, inſurrexit. Hic Viro Dei vehementèr infeſtus, multis eum Injuriis affectum, Pontificatu dejectum, ſervilemque in Modum Flagris cæſum, à Vagionum, ſeù Wormatienſium, Civitate eliminavit. Romam, ſedente Pelagio Papa Secundo, iterùm profectus, in Alemanniam reverſus eſt, ubi quàm copioſus ex ſacratiſſima illius Vita Fructus in alios promanarit, multi non ſolùm à vicinis, ſed etiam longinquis Regionibus Populi, ejus Ope in Salutis Viam traducti, teſtantur. Imprimis enim Theodo Tertius, Bavariæ Dux, audiens beati Viri Sanctitatem, & Miracula, quæ faciebat, deſideravit illum videre, & miſſis Optimatibus ſuis obnixè eum poſtulavit, quatenùs Bavarorum Gentes, ſedentes in Tenebris, & Umbra Mortis, viſitare, eaſque, ac Seipſum, Lumine Sanctæ Fidei colluſtrare, dignaretur. Sanctus verò Epiſcopus, variis licèt Perſecutionibus fatigatus, pium Opus minimè recuſavit. Et ubi Dux Virum Sanctum adventare cognovit, Reverentia Gratiâ cum Procinctu Procerum ſuorum obviam properavit, Urbemque Ratiſbonam, ſeù Rheginoburgum, ingredienti omnia Honoris Genera exhibita ſunt. Cùmque Ducem, Populumque in Sententiam ſuam deduxiſſet, ut ſcilicet deſertâ avitâ Superſtitione, exploſo, atque expilato gentili Numinum Cultu, Sapientiam Chriſtianam reciperent, & unius Dei Cultum amplecterentur, eundem baptizavit Principem unà cum Magnatibus ſuis, & Populo non modico Nobilium & Ignobilium, Redemptorem Mundi laudantium, qui eos de Tenebris Gentium vocavit in admirabile Lumen ſuum. Exindè Rupertus liberam prædicandi Facultatem à Theodone Duce obtinens, magna Animo complexus, & unius Civitatis Compendio nequaquàm contentus, Navi aſcensâ, Noricorum Fines per Alveum Danubii uſque ad inferiorem Pannoniam, Hungariam ſcilicet, tranſiens, facundo Ore, po-

tentique Manu, majora Homine ubique loquens, patranſque, omnia Danubio adſita Oppida illuſtravit, pioque cum inanibus Diis ſuſcepto Bello, ubique victricia Chriſti Signa erexit, ac ingentes Opes Cœlo intulit; retròque Iter, quà venerat relegendo, Laureacum inviſit, ibique cæleſtis Doctrinæ Sementem, jàm olim ab Exordio Eccleſiæ per ſanctiſſimos Viros factam, ad Maturitatem perduxit.

Lectio VI.

RATISBONAM reverſus, apud Juvaniam (ubi olim Romanorum Colonia) quæ hodie Saliſburgum dicitur, cùm Epiſcopalem Sedem conſtituiſſet, Templumque in Honorem Beati Petri, Apoſtolorum Principis, erexiſſet, Animum ſtatim ad reliquam Bavariæ Gentem, atque Norica Regna, Auſtriam ſcilicet, Stiriam, Carinthiam, Carniolamque, quibus nondùm reſplenduit Lumen Fidei, ſacrâ Chriſti Religione imbuendas convertit; & cùm Se unum tantæ Spei parem non videret, cùm Annos inſuper ſuos jam Cœlo maturos computaret, ne Fato interpellante benè cæpta deſtituerentur, duodecim Viros, Virtute, Doctrinâque inſtructiſſimos, cumque iis ſororem etiam ſuam, Sanctam Erentrudem, excivit, ut nimirùm magnæ Virtutis in utroque Sexu illuſtria Exempla extarent, & ne Fœminis Dux deeſſet, aut Magiſtra, eam ſubindè inſigni Parthenoni, ſive Cœnobio, Sanctimonialium, in ſuperiori Caſtro Juvaniæ Civitatis à Reginotrude Theodonis Uxore conſtructo (qui hodie Nunnarum Mons appellatur) Abbatiſſam præficiens. Porrò auxiliari illa duodecim Virûm Manu præclarus Epiſcopus in luſtrandis Regionibus illis adeò egregiè, feliciterque, uſus eſt, ut eas omnes, Idolatriæ Erroribus involutas, Catholicæ Eccleſiæ, Deo ſtrenuos ejus adjuvante Conatus, aggregaverit, cujus Rei Gratiâ factum eſt, ut Bavarorum, & Noricorum Apoſtolus appellari mereretur. Tandem magnæ Virtutis Vir, plenus Dierum, poſtquam Eccleſiæ Juvanienſi (hodie Saliſburgenſi) Annis quadraginta tribus præfuiſſet, Miraculis clarus, illuceſcente ipſo Dominicæ Reſurrectionis Die, in quo ſe moriturum edixerat, ſacroſancto Miſſæ Sacrificio peracto, ac Diſcipulorum Animis dulci paternæ Pietatis Adhortatione confirmatis, inter ſanctas illorum Manus,

inter

inter pios plangentium Singultus, emisit Spiritum, sexto Kalendas Aprilis, Anno Salutis sexcentesimo vigesimo tertio, Ætatis suæ octogesimo sexto, Pontificatûs autem Bonifacii Papæ Quinti septimo. Sacrum ejus Corpus honorificè tumulatum fuit in memorato Divi Petri Templo, ubi Annis centum & quinquaginta quievit, ad Tempora scilicet Sancti Virgilii Hiberni, Salisburgensium Episcopi, qui illud ad Ecclesiam, ipsi Beato Ruperto ab eo dicatam (quæ nunc Metropolitana est Salisburgensis) solemni Pompâ transtulit. Ipsa autem Salisburgensis nobilis Civitas, cum ampliſſimo suo Territorio, Archiepiscopo tanquam Principi in Temporalibus subjecta est, in ejusque Nummis Sancti Ruperti Imago usque in hodiernum Diem excuditur.

In III. Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum. *Cap.* 10.

Lectio VII.

IN illo Tempore, dixit Jesus Discipulis suis: Euntes prædicate dicentes, quia appropinquavit Regnum Cælorum. Et reliqua

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

In Homil. 33 *in Matth.*

CONSIDERA, qualiter Dominus non minorem Curam habet, ut mores eorum in melius reducat, quàm ut Signorum præbeat Potestatem. Nam ut ostendat, absque Nobilitate Morum, nihil Signa valere, utque in nullum Fastum Animi, atque Tumorem, inciderent, gratis, inquit, accepistis: Deindè, ne Cupiditate Pecuniarum moverentur, intulit, gratis date. Nam ne (quasi sua ipsorum Potestate Miracula facientes) indè superbirent, gratis, dixit, accepistis, nihil largimini iis, qui Vos recipiunt. Non enim tanquam Mercedem, vestris Laboribus debitam, ista accepistis, mea enim est Gratia. Sic igitur aliis quoque hæc Beneficia, quorum nullum potest condignum Præmium inveniri, gratis date.

Lectio VIII.

POST hæc cùm Radicem omnium Malorum voluerit evellere, Vitiorum Fundamentum diruere: Non possideatis, inquit, Aurum, neque Argentum, neque Pecuniam in Zonis vestris: Non Peram in Via, nec duas

duas Tunicas, neque Calceamenta, neque Virgam. Non dixit, non accipiatis Vobiſcum; ſed, non poſſideatis: Ut ſi & aliundè recipere poſſent, recuſarent tamen, ac pernicioſam hanc Ægritudinem fugerent. Quo deindè Præcepto multa profectò complectitur Commoda. Primum, ut nulla de Diſcipulis poſſit eſſe Suſpicio: Deindè ab omni ſæculari Cura, ſic ipſos liberos reddit, ut Prædicationi ſolùm vacare poſſint: Demùm immenſam ſuam Potentiam ipſis patefacit, quod & poſteà commemoravit dicens: Numquid Vobis tunc aliquid defuit, quando Vos nudos abſque Calceis miſi?

Lectio IX.

ILLUD etiam Conſideratione dignum eſt, quòd non incipiens ſtatim dixit. Non poſſideatis Aurum, neque Argentum; ſed cùm priùs mundandi Leproſos, ejiciendi Dæmonia, Poteſtatem eis dederit, tunc intulit: Nihil poſſideatis, gratis accepiſtis, gratis date. Sic Rebus ipſis docuit, utilia eſſe, & honeſta, & facilia Factu eis præcipere. Sed inquies, cætera quidem non abſque Ratione certa dicta eſſe; quid autem ut Peram non habeam in Via, nec duas Tunicas, nec Virgam, nec Calceamenta, quanam de Cauſa eis injunxit? Exactiſſimè certè ſublimioris Vitæ Fundamenta voluit jacere: Sic & in ſuperioribus, nullam de craſtina Die Curam ipſos habere hortatur.

Miſſa, Statuit, *ut in Communi Confeſſoris Pontificis, præter Evangelium, quod invenire eſt ſub Finem Miſſalis, in Miſſa* pro Peregrinantibus.

Die

Die VI. Aprilis.

IN FESTO

S. CELESTINI, I.

Papæ, & Confeſſoris.

Duplex Majus.

ORATIO.

DA quæſumus Omnipotens Deus, ut Beati Celeſtini Confeſſoris tui, atque Pontificis, veneranda Solemnitas & Devotionem Nobis augeat, & Salutem. Per Dominum, &c.

In i. *Noct. Lect.* Fidelis Sermo, *ut in Communi Conf. Pontif.*

In II. Nocturno.

Ex Proprio Baſilicarum Lateranenſis, Vaticanæ, & Liberianæ, Urbis.

LECTIO IV.

CELESTINUS Romanus Priſci Filius, Sancto Bonifacio ſine ulla Plebis Diſciſſione ſubrogatus, Romanæ Eccleſiæ præſedit Epiſcopus Hic Venerabilis Pontifex (cui ad Eccleſiæ Catholicæ Præſidium, multa Dominus Gratiæ ſuæ Dona largitus eſt) ſciens damnatis non Examen Judicii, ſed ſolùm Pœnitentiæ Remedium eſſe præſtandum, Celeſtium, primarium Pelagii Diſcipulum, ſuam, quaſi non diſcuſſo Negotio, Audientiam poſtulantem, totius Italiæ Finibus juſſit extrudi. Nec ſegniore Curâ ab hoc eodem Morbo Britanniam liberavit, quando quoſdam Inimicos Gratiæ, Solum ſuæ Originis occupantes, etiam ab illo Secreto excluſit Oceani. Quamobrem Sancto Germano Antiſiodorenſi Epiſcopo illuc Vice ſuâ miſſo, ordinatoque Hibernis Epiſcopo Palladio, qui Romanæ Eccleſiæ Diaconus erat, ac poſteà Sancto Patritio,

Patritio, dùm Romanam Insulam studuit servare Catholicam, fecit Barbaram Christianam.

Lectio V.

CUM autem Nestorius Constantinopolitanus Episcopus novum Ecclesiæ moliretur Errorem inducere, prædicans Christum ex Maria Hominem tantùm, non etiam Deum natum, eique Divinitatem collatam esse pro Meritis, ejus Impietati suâ Celestinus Authoritate acriter repugnavit. Quare Sancto Cyrillo Episcopo Alexandrino Vices suas delegavit, ut nisi decem Dierum Intervallo Nestorius resipisceret, in illum Sententiam ferret. Verùm cùm Nestorius id pertinaciùs recusasset, magisque creviſſent Dissentiones, & Tumultus, apud Ephesum tertia Œcumenica Synodus est congregata, in qua Celestinus per Legatos suos præsedit, quibus suo Commonitorio eos Limites præscripsit, ut de Episcoporum Sententiis judicarent, Certamen non subirent. Itaque in ea Synodo Nestorius cum Hæresi Nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum Errori suo Dogma juvabant, damnatus est.

Lectio VI.

PER suas Literas eorum Sacerdotum Superstitionem Celestinus redarguit, qui, veteri dimisso Habitu, amicti Pallio, Lumboque præcincti, in Ecclesia ministrabant. Cavit præterea, ne Morientibus denegaretur Pœnitentia, neve ex Laicis, aut Criminosis, aliqui ad Episcopatum promoverentur. Itemque ne Metropolitanus in aliena Provincia aliquid præsumeret, & ne in creandis Episcopis extranei emeritis vacantis Ecclesiæ Clericis anteponerentur. Instituit, ut ex omnibus centum quinquaginta Psalmis antè sacrosanctum Missæ Sacrificium psalleretur. Dedicavit Basilicam Juliam, propriumque suum Cæmiterium Picturis decoravit, variaque ad Ecclesiæ Ornatum Dona obtulit. Qui cùm tribus Ordinationibus Mense Decembri creasset Presbyteros triginta duos, Diaconos duodecim, Episcopos per diversa Loca quadraginta sex, obdormivit in Domino octavo Idus Aprilis, Anno Christi quadringentesimo trigesimo secundo, sepultusque est in Cæmiterio Priscillæ, Viâ Salariâ, Theodosio, & Valentiniano Imperatoribus. Sedit Annos octo, Menses quinque, Dies tres.

In

In iii. *Noct. Hom. in Evang.* Homo peregrè proficiscens, *ut in Communi Conf. Pontif.*

Miſſa, Statuit, *ut in eodem Communi.*

Die VII. Aprilis.

IN FESTO

S. CELSI,

Epiſcopi Armacani, & Confeſſoris.

Duplex Majus.

Omnia de Communi Confeſſoris Pontificis, quia Officium proprium nullibi inveniri poterat.

LICEAT nihilominùs, *Typis Italicis hìc ſubnectere Orationem, & Lectiones proprias ſecundi Nocturni, tum ut hoc in Supplemento, continenti Ordine reperiantur, ſi fortè in Tempore opportuno à S. Sede Apoſtolica approbentur; tùm ut intereà Concionatoribus deſerviant, aliiſque, qui brevem hujus Sancti Hiſtoriam ſcire aveant.*

ORATIO.

DEUS, *qui Eccleſiæ tuæ in Beato Celſo Confeſſore tuo, atque Pontifice, boni Paſtoris Exemplum providere dignatus es: Concede propitiùs, ut ejus Interceſſione in Loco Paſcuæ tuæ perpetuò collocari mereamur. Per Dominum, &c.*

In primo Nocturno Lectiones de Apoſtolo Paulo: Fidelis Sermo, *ut in Communi Confeſſoris Pontificis.*

In II. Nocturno.

Ex S. Bernardo in Vita S. Malachiæ, ex Actis probatis apud Bollandum, Tom. 1. Menſis Aprilis Pag. 619 ex Colgano in Triade Thaumaturga Pag 300. aliiſque ſpectatæ Fidei Scriptoribus.

LECTIO

Lectio IV.

CELSUS, qui & Celestinus, Vir omni Virtutum Genere, imprimisque illibatâ Castimoniâ, clarus, eo ipsissimo Tempore præfectus fuit Sedi Armacanæ, quandò Episcopus verè Apostolici Pectoris, pro restauranda sensim collapsa Ecclesiæ Disciplina, magnoperè desiderabatur. Enimverò quamquàm Hibernia ab Anno post Christum natum quadringentesimo quadragesimo, per quatuor integra Sæcula, Sanctorum, Doctorumque, Officina fuerit, argumentosa Beatorum suorum Agmina ad varias Orbis Nationes, cælestes Favos in iis constructura, quasi Inundatione factâ, ut loquitur Mellissuus Doctor, mirum in Modum effundens; nihilominùs spectabilis Pietas paulatim deflorescere videbatur per ducentorum fermè Annorum Spatium, quo haud interruptum perduravit Bellum Hibernos inter, & non minùs eo Ævo præpotentes, quàm feroces, Danos, qui Angliâ, Scotiâ, aliisque adjacentibus Regionibus, subactis, Hiberniam continuò infestabant; in eaque, post pleraſque Populi, & Cleri, Sedes, ac Ædes sacras, Paganico Furore dirutas, Portus aliquot, maritimasque Civitates, occuparunt. Et licèt ista adeò diuturna Tempestas cessare inceperit sub Initium Sæculi undecimi, Anno scilicet millesimo decimo quarto, quando Hiberni sub invictissimo juxtà ac piissimo suo Monarchâ, Briano Borovco, in celebri Prælio Clontarfensi, ad Littus Maris propè Dublinium, de cæsis, debellatisque Danis glorioſum reportarunt Triumphum, successit tamen alia non minùs periculosa, per totam Hiberniam exorta, quâ, Principibus Regni de suprema Rerum Administratione contendentibus, Disciplina Ecclesiastica plurimùm labefactata est.

Lectio V.

FACTUS igitur Episcopus Celsus, trigesimum Ætatis suæ Annum nondùm ingressus, maximo inardescens Salutis Animarum Studio, totus imprimis incubuit, ut Sponsam suam ab omni Inquinamento purgaret, utque exulantem Pietatem restauraret, ipse perfectissimum se exhibens Sanctimoniæ Exemplar. Multa interèà gessit, multa tulit, multa suscepit; alios adiit, alios accersivit, alios monuit; alios arguit, obsecravit, increpavit, in omni Patientia, & Doctrina; atque omnibus omnia factus, nedùm Diœcesi suæ, sed & toti Regno profuit, alienis Ecclesiis,

cleſiis, Scripto, Verbo, & Exemplo, prælucens. Ejus pe-
tiſſimùm Operâ celebrata fuit Anno milleſimo centeſimo un-
decimo, Præſide Gilberto Epiſcopo Limericenſi, Paſchalis
Papæ Secundi Legato, inclyta Synodus de Uſneach (qui
Mons ameniſſimus eſt in hodierno Agro Midenſi Occiden-
tali, & totius veluti Regni Umbilicum, jam olim haben-
dis Comitiis univerſæ Gentis celeberrimus) cui quinqua-
ginta Epiſcopi cum trecentis Preſbyteris, & tribus Millibus
Eccleſiaſtici Ordinis, necnon Murchertachius, ſivè Mauri-
tius, Auſtralis Hiberniæ Rex, cum collecta indidem Nobi-
litate, interfuere, in eaque latæ ſunt Leges, ad Clerum,
& Populum probis Inſtitutis reformandum, ſaluberrimæ.
Ipſius Conſtantia in adverſis, non minùs quam Liberalitas,
maximè effulſit, cùm, Anno milleſimo centeſimo duodeci-
mo, Arx Armacana unà cum tribus Templis, pluribuſque
Ædificiis, & paulò poſt celebre Monaſterium, Ædeſque
plures eidem conjunctæ, Incendio conſumptæ fuere. Nam
& Damnis reparandis Animum adjecit, & Eccleſiam Ca-
thedralem in meliorem Formam, quàm anteà fuerat, ex-
truxit. Baſilicam etiam Sanctorum Apoſtolorum Petri,
& Pauli, à Beato Imario ædificatam, duodecimo Kalen-
darum Novembrium, ſolemni Ritu conſecravit.

LECTIO VI.

POSTQUAM *Armacanam Eccleſiam, Annis plus du-*
odecim, Vitâ, Verbo, Virtutibuſque, ſancto, & op-
timo Paſtore dignis, ac ſolicitâ, indefeſsâque Curâ ſua-
viter rexiſſet, communi Hibernorum, & Danorum Suffra-
gio electus etiam Epiſcopus Dublinienſis, eidem Sedi Annos
octo laudatiſſimè, ſanctiſſimeque præfuit. Ad pacandam
Hiberniam, novis Bellorum Tumultibus maximè agitatam,
à Diœceſi ſua per Annum, & Menſem abfuit, Negotium
tandem adeò feliciter tranſigens, ut diſſidentes Principes
ad Concordiam, Clerum ad præſtantiorem Diſciplinam,
Populum ad meliorem Vitæ Frugem, reduxerit. Rurſum-
que Conacienſes; & Momonienſes, variis Diſcordiis agi-
tatos, ac divulſos, Fœdere junxit. Sanctum Malachiam,
ſuum poſteà in Armacana Sede Succeſſorem, in Diaconum,
Preſbyterum, & Connorenſem Epiſcopum, ordinavit. Tan-
dem Vir verè Apoſtolicus, Sermone potens, & Opere, poſt
Vitam in Vigiliis, Jejuniis, Orationibus, Prædicationi-
bus, aliiſque id Genus præclaris Pietatis, ac Charitatis

Officiis, transactam; postquàm Sibi commissos in Spiritu Lenitatis mirabili Prudentiâ rexisset, singulari Sagacitate instruxisset, sanctissimisque informasset Exemplis; mirâ in adversis Patientiâ, insignique Morum Sanctimoniâ, refulgens, cùm Pacem inter Hibernos compsuisset, in Pace tandem quievit & ipse, Laborum suorum Mercedem recepturus, apud Pagum, qui Collis Sancti Patritii nuncupatur, in Momonia, non longè à Limericensi Civitate, octavo Idûs Aprilis, Anno Salutis millesimo centesimo vigesimo nono, Ætatis verò suæ duntaxàt quinquagesimo, Pontificatûs autem Honorii Papæ Secundi quinto. Ejus Corpus, prout in supremo jusserat Testamento, Lismorum in Agro Waterfordiensi delatum, in Ecclesia Cathedrali, Sancto Mochudæ, primo Lismorensium Episcopo, sacrâ, honorificè conditum fuit.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium: Homo peregrè, *ut in Communi Confessoris Pontificis.*

Missa, Statuit, *ut in eodem Communi.*

Die X. Maii.

IN FESTO

S. CONGALLI,

Monasterii Benchorensis seù Bangorensis (in Agro Dunensi Ultoniæ) Fundatoris, primique Abbatis.

Duplex Majus.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter hic posita.

ORATIO.

DEUS, qui per Beatum Congallum Abbatem cæco Ecclesiæ tuæ Sacerdoti baptizanti Visum restituisti: Da Nobis, quæsumus, ipsius Meritis, & Intercessione

one Fidei tuæ verum Lumen intelligere, & Peccatorum Cæcitatem perpetuò devitare. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno Lectiones ut in Feſto S. Furſæi, Die 16 Januarii, Pag. 3.

In II. Nocturno.

Ex S. Bernardo in Vita S. Malachiæ, Henrico Caniſio, Notkero Balbulo, Sirino, Ferrario, Poſſevino, Bollando, aliiſque Spectatæ Fidei Auctoribus; atque ex variis Menologiis, ac Breviariis.

Lectio IV.

BEATUS, ac venerabilis Abbas Congallus, cujus Nativitas â Sancto Patritio, Hibernenſium Apoſtolo, ſexaginta Annis antequam in Lucem ederetur, pronunciata fuit, nobiliſſimo Aradenſium in Ultonia Genere ortus, Patre Sedne, Matre Brigâ, Anno Chriſti quingenteſimo decimo ſexto, progenitus fuit. Eo ad Baptiſmi Locum deducto, ibique deficiente Aquâ, à Terra Fons ſtatim erupit, quo lætificatus Preſbyter omninò cæcus, ejuſdem Sacri Fontis Aquâ Vultum, Oculoſque perfudit, confeſtimque Viſum recuperavit, ac poſteà beatum Infantem eadem Aquâ ſacramentaliter abluens, ipſi Congalli Nomen (quod ſacrum Pignus interpretatur) prout memoratus prophetaverat Divus Patritius, impertivit. Puer geſtiens vocantem occultè ſe Dominum ſequi, ſæcularem Habitum depoſuit, Eccleſiaſticum ſuſcipiens; Domoque paternâ relictâ, ad quendam de Gente ſua peritum migravit Virum, à quo Pſalmos, & Hymnos, cæteraque ad Adoleſcentes pertinentia, in omni Subjectione, & Patientia, Virgo Mente, & Corpore, didicit. Poſt hæc prudens Juvenis deſerens Patriam ſuam, Viamque dirigens in Auſtralem Hiberniæ Plagam, intravit Provinciam Lagenienſium, venitque ad Sanctum Fintanum, Abbatem præclariſſimum Monaſterii de *Cluain-Ednech* ad Bladini Montis Radices, à quo benignè receptus, Monachali Habitu indutus fuit, in eoque Cænobio, veluti totius Sapientiæ, & Sanctimoniæ Sacrario, ex quo innumeri aurei iſtius Sæculi Viri celeberrimi prodiere, per plures Annos Vitam planè Angelicam duxit. Poſtquàm autem in Fintani Schola humanas, divinaſque Literas, atque Monaſticam

ſticam Diſciplinam plenè edoctus eſſet, in natalem ſuam Provinciam, cum Beatiſſimi Abbatis ſui Licentia, ac Benedictione, regredi ſtatuit.

LECTIO V.

TUNC autem Congallus adhuc poſt multos Annos ſine Ordine erat, renuit quippè Eccleſiaſticos Gradus aſcendere; ſed cum aſſignatis ſibi Diſcipulis in Patriam ſuam proficiſcens, venit ad Sanctum Kyranum, Monaſterii de Clonmacknois in Occidentalibus Midiæ Finibus Abbatem, apud quem aliquo Tempore in magna Sanctitate manſit, ac tandem ab Epiſcopo illius Loci, Sancto Lugido, magnâ Suaſione Diaconus, & poſt Temporis Intervallum, Sacerdos, ordinatus eſt. In Ultoniam reverſus, eandem circuibat, prædicans Populis Semina Evangelii, volenſque caduca deſpicere, & æterna ſectari, pervenit ad Stagnum *Erne*, & ingreſſus Inſulam Cuſtodiariam, ibi in Vita dulciſſima, abſque ulla prorsùs de Terrenis Sollicitudine, habitavit. Poſtmodùm totam deſerere Hiberniam, & pro Chriſto trans Mare in Britanniam peregrinari, ibique manere, decrevit, ſed Precibus, ac flebili Rogatu memorati Sancti Lugidi, Ordinatoris ſui, aliorumque Servorum Dei, devictus, in Hibernia manſit, atque Benchorenſe conſtruxit Monaſterium haud procul à Mari Orientali ad dexterum Latus Æſtuarii Knockfergii, undè breviſſimus Trajectus eſt ad Gallovidiam, Scotiæ Provinciam. Porrò de eo Monaſterio hæc habet melliſluus Doctor Sanctus Bernardus in Vita Beati Malachiæ: Nempè, inquit, nobiliſſimum extitit ſub primo Patre Congallo multa Millia Monachorum generans, multorum Monaſteriorum Caput. Locus verè ſanctus, fæcunduſque Sanctorum copioſiſſimè fructificans Deo, ità ut unus ex Filiis ſanctæ illius Congregationis, Nomine Luanus, centum ſolus Monaſteriorum Fundator extitiſſe fertur. Denique ità Hiberniam, Scotiamque, repleverunt Genimina ejus, ut ea potiſſimùm Tempora Davidicus ille Verſiculus præcinuiſſe videatur: Viſitaſti Terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam, & in hunc Modum cæteri Verſiculi, qui ſequuntur. Nec modò in præfatas, ſed in exteras etiam Regiones, quaſi Inundatione factâ, illa ſe Sanctorum Examina effuderunt.

LECTIO

Lectio VI.

EAPROPTER cùm ad Benchorense Cænobium illud maxima Monachorum Multitudo veniret, & in uno esse nequiret Loco, plurimas subinde Cellas, multaque Monasteria, nedùm in Regione Ultoniæ, sed & per alias Hiberniæ Provincias, constituit, in quibus tria Monachorum Millia sub Sancti Congalli Archimandritæ Cura, & Regimine vivebant, inter quos (præter Columbanum, & Gallum, Abbates postea beatissimos, aliosque præclaros Viros) erat Cormacus Lagenienſium Australium Rex, in cujus Corde, postquàm Monasticam Vitam amplexus fuerat, Hostis antiquus immisit, ut, non secùs ac Uxor Loth, ad ea quæ reliquerat, respiceret retrò, atque à Monasterio discederet; sed Miraculo perterritus, illicò reversus est, & in Sancta Religione ad Obitum usque mansit. Brydeum etiam Pictorum Regem Gentilem, Sanctis Abbatibus Columbâ, & Canicô sociatus Congallus, patratô à singulis Miraculô, ad Christi Fidem, prout Beatus Fintanus Magister suus prædixerat, convertit. Plurimis aliis, in Vita, & post Mortem, fulsit Miraculis, inter quæ quindecim Mortuos suscitavit. Cum aliquando apud Benchor in die sancto Paschæ Rem sacram perageret, Sanctus Critanus, senex, venerabilisque Anachoreta, vidit Angelos splendidos juxtà eum offerentes, qui tangebant, & benedicebant, nunc Altare, nunc Calicem, nunc Congalli celebrantis Manus, & Os ejus, ac Verticem, atque super Oblationem Signum Crucis cum eo formabant. Denique Vir Dei, Annos natus octoginta quinque, postquàm Benchorensi Monasterio, aliisque eidem subjectis Cænobiis, & Cellis, per quinquaginta Annorum Seriem sanctè præfuisset, innumeris pro Ecclesia Dei perfunctus, confectusque Laboribus, atque variis, & accutissimis Doloribus affectus, cùm Discessum è Vita sibi imminere divinitùs intelligeret, accersitô ad se ex Provincia Lageniensium Sanctô Fiachrâ, Abbate de Cluainaird, sacrosanctam Eucharistiam de ejus Manu summâ Religione accepit; deindè Sacramento Extremæ Unctionis devotè susceptо, beatissimus Senex, Spiritu Sancto plenus, migravit in Cœlum, sexto Idûs Maii, Anno Æræ Christianæ primo

primo ſuprà ſexcenteſimum, Pontificatûs autem Sancti Gregorii Magni undecimo.

In tertio Nocturno Homil. in Evangel. Dixit Petrus ad Jeſum, *ut in Feſto S. Furſæi, 16 Januarii, Pag. 7.*

Miſſa, Os Juſti, *ut in Communi Abbatum.*

Die XV. Maii.

IN FESTO

S. DYMPNÆ,

Virginis, & Martyris, Filiæ Regis Hiberniæ;

Eccleſiæ Collegiatæ Gelenſis (in Belgio) Patronæ.

Duplex Majus.

Omnia de Communi Virginum præter hìc poſita.

ORATIO.

AMATOR Pudicitiæ Deus, qui Beatam Dympnam Virginem, & Martyrem tuam, cæleſtis Gratiæ Rore præventam, inter regales Delicias, & Mundi Illecebras, ſicut Lilium inter Spinas, Caſtitatis, & Perſeverantiæ Decore, mirandum in Modum floreſcere voluiſti: Supplicantibus Nobis concede, ut ejuſdem Feſtivitatem recenſentes, ipſius Exemplo diſcamus continenter vivere, & omnia Nobis adverſantia ſuperare. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno Lectiones ut in Feſto S. Brigidæ, Die 1 Februarii, Pag. 10.

In

In II. Nocturno.

Ex antiquo Breviario Eccleſiæ Antuerpienſis, ac Proprio SS. Eccleſiæ Collegiatæ Gelenſis, necnon ex Petro Canonico Cameracenſi, Joanne Molano, Surio, Bollando, Myræo, aliiſque probatis Auctoribus.

Lectio IV.

DYMPNA Virgo in Hibernia, Patre Rege, Idolorum Cultibus dedito, nata, velut Roſa de Spinis germinavit. In Ædibus paternis nobiliter educata, cum Annos Pueritiæ tranſegiſſet, Chorearum Aſſultus, & joculatorias Cantilenas, ac quæ illa Ætas expetit, & poſcit Celſitudo regalis, Animo deſpiciens, occultè Baptiſmum ſuſcepit, & ſe Corde, ac Corpore, Chriſto devovit perpetuò ſervituram. Quibus Profectibus invidens Dæmon, Regium Genitorem inceſtuoſo ergà ipſum Amore inflammavit. Cùm enim Pater, Reginâ defunctâ, novam quæreret ejuſdem Pulchritudinis Uxorem, monetur ab Aulicis, ut Filiam ſuam Dympnam accipiat, decoram valdè, Matrique ſuæ adeò conſimilem, ut in ejus Imagine mortua reviviſcere videatur. Quod deteſtabile Facinus cùm Pater Vi perficere vellet, & contrà ipſa Naturæ Jura Filiam Sibi Matrimonio copulare, illa, ut Genitoris Libidinem effugeret, quadraginta Dierum Indicias petiit. Interim Conſultore Gereberno, eximiæ Sanctitatis, & Doctrinæ Preſbytero, qui ipſam recèns natam occultè baptizaverat, & ei, ac Reginæ Matri, cui fuerat à Confeſſionibus, Euchariſtiæ Sacramentum clàm porrigere conſueverat, cum ipſo, & quibuſdam aliis, relictâ Patriâ, Navem conſcendit, & Auris, ac Ventis proſperantibus, ad quoddam Caſtrum, quod Antuerpia dicitur, pervenit, indèque ad Pagum Gele, ubi unicam reperit Sancti Martini Eccleſiam, in qua Miſſas celebrabat Gerebernus, & non longè ab ea Domicilium ſibi congruum conſtruxerunt, in quo trimeſtri Spatio commorantes, & Jejuniis, Orationibus, diviniſque Contemplationibus, vacantes, Vitam quodammodò Angelicam ducebant. Nec lætior unquam Dympna, quàm ubi regiam Domum exiguo Antro commutavit.

Lectio V.

INtereà Rex Pater, qui Filiæ Nuptias cum Gaudio expectabat, audiens Fugam ejus, turbatus eſt, & omnis Aula cum illo, ſciſſiſque Veſtibus, poſt Gemitus, & Dolores diù repetitos, reſciens tandem Dympnæ Tranſfretationem, ipſam inſequitur, Navique in Belgium venit, & indè Legatos quaquaversùm, & Exploratores immittit. Eorum autem quidam pervenerunt ad Villam Rurenſem, Weſterloo nuncupatam, Zamaliæ vicinam, & cùm Hoſpiti Expenſas ſolverent, ait ille, ſe nummos habere conſimiles, quorum Valorem prorsùs ignoraret. Et interrogatus undè eos haberet, reſpondit, à Virgine de Hibernia, quæ in propinquo Nemore habitat cum venerando Sene Sacerdote, mittitque id Genus Nummos pro emendis Alimentis. Hac Occaſione Pater ad eam Iter arripuit, illamque tandem aliquandò inventam, primùm, Libidinis ſcilicet Igne accenſus, ſuaviter blandèque affatus eſt. Sed pro ea reſpondens Gerebernus, Patrem de Abominatione redarguit, Filiamque ne unquàm conſentiret ex Animo adhortatus eſt. Quarè omnes in eum, tanquàm Fugæ Authorem, & regiæ Virginis Perverſorem, irruunt, variiſque exagitatum Injuriis, Capite truncarunt. Poſteà Rex iterùm iterùmque Modis omnibus inſtabat, ut Filia acquieſceret; ſed cùm Chriſtum unicum Amatorem ſuum, ac Sponſum, Se offendere nolle, multaque alia, caſtiſſimâ Virgine digna, conſtanter reſponderet, Pater demens effectus eſt, & nimio Furore incenſus, juſſit eam celeriter decollari; & cùm nullus tàm crudele Facinus exequeretur, ne Regis, poſtmodùm Dolorem fortaſſis concepturi, Iram incurreret, ipſemet, paterni Affectûs, & regiæ Dignitatis, oblitus, Gladio, quo erat accinctus, ſacrum Caput præclaræ Virginis, divinam implorantis Miſericordiam, amputavit. Hoc Pacto glorioſa Chriſti Sponſa, Dæmonum Terror, & Flagellum, Virginitatis, & Martyrii Laureâ decorata, ad Superos evolavit.

Lectio VI.

HIS ità peractis, Rex iniquus ſuo cum Comitatu remeans ad propria, Sanctorum Corpora Volatilibus Cœli, & Beſtiis Terræ, cruento in Solo, devoranda reliquit, quæ nihilominùs per Dies aliquot intacta manſere

ſere, donec à quibuſdam juxtà habitantibus ſub Specu terraneo ſunt condita, prout tunc erat Conſuetudinis Mortuorum Corpora ſepelire. Poſt multa verò Annorum Curricula, ob ſtupendam Signorum Exhibitionem, Clerus, & Populus, eorum Corpora quærentes, reperierunt illa in duabus Tumbis marmoreis, Nive candidioribus, quas Angelicis Manibus præparatas, ad denotandam utriuſque Sancti Caſtitatem, intellexerunt, cùm non eſſent in Regione illa tota niſi Petræ Fuligine nigriores. Porrò Corpus Sancti Gereberni ad Trojam Renenſem (quæ Soutbecha dicitur) Ditionis Clivenſis in Germania, tranſlatum eſt. Corpus verò Sanctæ Dympnæ delatum fuit ad Eccleſiam Pagi de Gele ejus Nomine dicatam, ubi multis coruſcat Miraculis, liberando præſertim à Dæmonibus vexatos, prout ipſimet Romani Pontifices, ſignanter Joannes XXII. Joannes XXIII. & Eugenius IV. Apoſtolicis Diplomatibus teſtati ſunt. Quibus permoti nobiliores, & ditiores Incolæ Gelenſes, Thecam ex Auro, Argento, & Lapidibus pretioſis conficiendam curarunt, in qua Exuviæ venerabilis Virginis reponerentur. Itàque Epiſcopus Cameracenſis cum Clero ſuo, & Caterva Populorum. & cum nobilibus Perſonis utriuſque Sexûs, cum immenſo etiam Vulgi Comitatu, honorificum Sanctæ Dympnæ Corpus de Tumba marmorea in Thecam iſtam, ſic pretioſè fabrefactam, tranſlocavit. Sed priùs cum Tumbam aperiret Epiſcopus inventus eſt in ea Lapis rubeus ab Angelis ſuprà Pectus ſanctiſſimæ Virginis, ad ſignificandum Martyrium ejus, poſitus, in quo ſcriptum erat: Hìc jacet Sancta Dympna Virgo, & Martyr. Prædicta autem Corporis beatæ Virginis Tranſlatio facta eſt Die decima quinta Maii, in qua Feſtum ejus celebratur. Decolata verò fuit Die trigeſima ejuſdem Menſis, cadente Sæculo Eccleſiæ ſexto, Anno Ætatis ſuæ decimo quinto, Sancto Gregorio Magno Summo Pontifice.

In tertio Nocturno Hom. in Evangel. Decem Virginibus, *ut in Communi.*

Miſſa, ut in Communi cum dicto Evangelio.

Die

Die IX. Junii.

IN FESTO

S. *Columbæ*, ſivè *Columbi*,

Monaſterii Hyenſis (in Scotia) Fundatoris, primique Abbatis, necnon Pictorum Scotiæ Apoſtoli, ac tertii Hibernorum Patroni.

Duplex Majus.

Omnia ut in Communi Confeſſoris non Pontificis, præter hìc poſita.

Ad Veſperas.

HYMNUS.

COlumba Pennâ niveâ,
Collo reſplendens roſeo:
Loca petit Syderea
De Clauſtro Mundi luteo.
Vitæ horrens Mollitiem
Peccati pro Diluvio,
Quæſivit ſibi Requiem
In Arcis ſacræ Solio.
Et Nidum Sibi poſuit
In Petra Pœnitentiæ:
Devotos Chriſto genuit
Pullos per Verbum Gratiæ.
Pro dulci Cantu, quærulis
Intendebat Gemitibus;
Crebros adjungens ſedulis
Fletus Orationibus.
Soli Deo ſit Gloria,
Qui nos poſt Cursûs Stadia,
Columbæ per Suffragia,
Ducat ad Cœli Gaudia.
Amen.

Ad Magnificat, Antiphona.

FELIX Hibernia Columbam genuit, qui de Proſapia regali claruit, ſed Morum Gratiâ magis imecuit.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Columbam Abbatem Evangelicæ Prædictionis Gratiâ, Miraculorum Gloriâ, & præclaris eximiarum Virtutum Meritis, feciſti conſpicuum:

um: Da Nobis, ejus Exemplo caduca omnia deſpicere, ut à terrenis Affectibus expediti, & à cunctis Adverſitatibus liberati, ſola cæleſtia appetamus. Per Dominum, &c.

Ad Matutinum.

Hymnus, ut ſuprà.

In primo Nocturno Lectiones ut in Feſto S. Furſæi, Die 16 *Januarii, Pag.* 3.

In II. Nocturno.

Ex Ven. Bedâ, S. Adamnano, Notkero Balbulo, Jona Abbate, Alcuino, Walafrido Strabone, Mabilonio, variiſque Breviariis approbatis.

Lectio IV.

EGREGIUS, ac Venerabilis Vir Columba, à nonnullis Prophetiæ Dono conſpicuis prænunciatus, regali ex Progenie claram ducens Originem, natus fuit in Pago de Gartan, ſito in ea Ultoniæ Regione, quæ Tyrconallia dicitur, Anno quingenteſimo vigeſimo primo. Tutores habuit plurimos Doctrinâ, & Pietate inſignes, ſub quorum Diſciplina ſingularem Sibi Eruditionem comparavit, tantumque in Sanctitate fecit Progreſſum, Virtutibus jàm plenus, & Miraculis clarus, ut communi Præſulum Patriæ Decreto miſſus ſit ad Beatum Etchenum, Cluainfodienſem (in Lagenia) Antiſtitem, Epiſcopus conſecrandus: Sed ſecretioribus divinæ Providentiæ Conſiliis, quæ tantum Virum Monaſtico Inſtituto Propagatorem, & Patriarcham, reſervare maluit, factum eſt, ut non in Epiſcopum, ſed in Preſbyterum, & Abbatem, ordinaretur. Monaſticæ Regulæ dilatandæ Causâ Doriam (nunc Derriam) in Ultonia, ubi tunc erat Aula Regia, profectus eſt, obtinuitque ab Aido Rege Locum, ubi cælebre ædificavit Monaſterium, quod poſtmodùm in Epiſcopalem Sedem (quæ Derrienſis appellatur) mutatum fuit. Conſtructo Cænobio, convocatoque Monachorum Cætu, ipſe licèt invitus, Rector præficitur, eoque in Munere, Virtutum Exemplo, ſalutaribus Monitis, vigilique Curâ, in ſuorum Fratrum imprimis, deindè etiam in Proximorum Salutem diligentiſſimè incubuit. Fundavit inſuper Monaſteria Dermaghenſe à Copia Roborum ſic dictum, in hodierno Agro Regis; Rapotenſe, quæ nunc Sedes eſt Epiſcopalis

in

in Ultonia; Surdenſe propè Dublinium; Druimchlienſe in eo maritimæ Conaciæ Tractu, quem Carbriam vocant, pluraque alia Cænobia, quam ob Cauſam compoſito à Columba, & Cella Nomine, Columbcellus, ſivè Columbkillus, vulgò cognominatus fuit, tanquam multarum Cellarum, id eſt, Monaſteriorum, vel Eccleſiarum, Fundator, & Rector.

Lectio V.

HIS peractis, utrumque Sanctum Epiſcopum Finnianum, ſuum olim Magiſtrum, inviſit, dein Beatum Endeum Abbatem, alioſque Viros ſanctos, qui in Inſula Aranenſi Conaciæ Angelicam planè Vitam ducebant, poſtremò Sanctum Kyranum, Abbatem Clonmacknoiſenſem, apud quem contemplandis Rebus cæleſtibus & divinis decantandis Laudibus, aliiſque piis Exercitationibus aliquamdiù vacabat, donec Zelo Evangelicæ Prædicationis ſuccenſus cum duodecim Sociis in Britanniam tranſnavigaverit, Anno quingenteſimo ſexageſimo quinto. Brevi illic Morâ contractâ, Navem repetens, directo in Albaniam (nunc Scotiam) Curſu, in Inſula Hy, alias Jonâ, incolumis appulit, ubi Sedem cum dictis Commilitonibus ſuis ſtatuens, Pictorum Regnum piis luſtrando Sudoribus, ad Chriſtianam Fidem convertit, optimiſque imbuit Moribus totam Gentem illam, ejuſque potentiſſimum Regem Brydium, Meilchami Filium, à quo præfatam Hyenſem Inſulam accipiens, Monaſterium in ea fundavit, quod deinceps veluti Alvearium diù fuit, ex quo innumeri in Hiberniam, Scotiam, univerſamque Britanniam, Epiſcopi prodiere. Poſtquàm autem Vir Sanctus, Opere potens & Sermone, totam Pictiniam Scotiæ Ovili Chriſti aggregaſſet, Urbes, Oppida, Inſulas, Sylvaſque, Eccleſiis, & Cænobiis repleſſet, in Patriam rediit cùm nobili Comitatu, aliquot nempè Epiſcopis, pluribuſque diverſorum Ordinum Clericis, necnon & ipſo Scotorum Albienſium Monarchâ Aidano, Gaurani Filio (quem, Angelo monente, Regem inauguraverat) ut nationalibus intereſſet Comitiis, ad quæ Columbam & deſtinati ab Hibernis Nuncii, & graviſſimæ Cauſæ, vocabant. Celebratâ Synodo in peramæno Midiæ Colli leniter acclivi (cui Nomen Drumchet) in quo etiam Proceres Univerſæ Hiberniæ ad inſtar Militum per Papiliones, & Tentoria, fuerant turmatim diſperſi;

diſperſi ; Romam cum Sancto Mochonna, Diſcipulo ſuo, profectus, perhumaniter exceptus fuit à Sancto Gregorio Magno, qui Mochonnam volens Mauritium, ſivè Macarium, deinceps appellari, Sedem Turonenſem in Gallia, jam tunc vacantem, illi regendam commiſit.

LECTIO VI.

ROmanâ Peregrinatione perfunctus Columba, Pontificiâque acceptâ Benedictione, ad propria iter relegens, deflectit Turones, ubi Locum Sepulturæ Sancti Martini detexit. Tandem ad Hyenſe ſuum Monaſterium reverſus, in eo ad Exitum uſque ſuum commoratus eſt. Mira fuit ejus Auſteritas ; ab omni enim ſapido Edulio abſtinuit : Ordinarius illi Potus Aqua pura ; Cibus, Panis ex Farina Arenæ permixta. Somni Tempus breviſſimum erat : Lectum præbebant bini Lapides, quorum alter Culcitræ, alter Cervicalis Vicem ſubibat. Corpus Loris, ac Flagellis communiter uſque ad Rivorum Sanguinis Defluxum, & non rarò uſque ad Carnis Dilaniationem, cruciabat. Uno Verbo, talem toto Vitæ ſuæ Decurſu Rigorem conſtanter tenuit, ut ad Evangelicæ Perfectionis Apicem aſcenderit, eamque attigerit Mentis Puritatem, quam planè cæleſtem fuiſſe, ingentia Miracula, propheticæ Prædictiones, & frequentiſſimæ ad eum factæ Angelorum Apparitiones, luculentiſſimè demonſtrant. Ad faciendam Rem ſacram, Aquam in Vinum convertit. Inter orandum pluriès Lumine irradiatus fuit ; & cùm in Surdenſi Eccleſia ſupradicta Miſſam aliquandò celebraret, Vertici ejus igneus è Cœlo deſcendens Globus inſedit, quem Sancti Congallus, & Canicus Abbates, qui Sacro interfuerant, conſpexere. In Hyenſi Inſula exiſtens, Civitatis (quæ nunc dicitur Novi) in Liguria Incendium in Extaſi vidit, Obitumque Sancti Columbani, Epiſcopi Lagenienſis, in Hibernia, & Sancti Brendani Abbatis in Scotia, cælitùs diſcit. Cum Angelis ſæpiùs Colloquia miſcuit, Dæmoneſque ſuperavit. Beatos Coemgenum, aliàs Kevanum, Glandalacenſem, & Fintanum, Cluainednechenſem, Abbates, adhuc viventes, Sanctos appellavit, eoſque ceù tales, Honoribus, ac Laudibus, proſecutus eſt. Qui cùm plurimos Diſcipulos, vel Socios, in Sanctitate pares habuiſſet,

buiſſet, unum tamen Congallum, Benchorenſem Abbatem Sanctiſſimum, Præceptorem Divi Columbani Abbatis, qui Magiſter fuit Beati Abbatis Galli, Virtutum, ac Meritorum ſuorum quaſi unicum, Exemplo Iſaac, reliquit Hæredem. Tandem Beatiſſimus Archimandrita, tranſactis in Scotia triginta duobus Annis, Meritis cumulatus, prænunciato Obitus ſui Die, atque Horâ, jam jam moriturus, Eccleſiam ſub media Nocte feſtinus ingreditur, ubi nixus Altari, inter Monachorum Choros Spiritum exhalavit, quinto Idûs Junii, Anno reparatæ Salutis quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, Ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo, Pontificatûs verò Sancti Gregorii Magni octavo. Ejus Corpus in Hyenſi Monaſterio Sepultum, ac poſtmodùm Dunum in Ultonia tranſlatum, in eodem Sepulchro, cum ſacris Beatorum Patritii, & Brigidæ Exuviis, honorificè conditum fuit.

In tertio Nocturno Homil. in Evang. Euntes prædicate dicentes, *ut in Feſto S. Ruperti, Die 27 Martii, Pag.* 43.

Ad Laudes.

Hymnus.

JEſu Redemptor omnium
Servos benignus reſpice,
Per Columbæ Suffragium
Mites, & caſtos effice.
Hic Pietatis Moribus
Refulſit in Eccleſia,
Columbinis Operibus
Cum ſumma Pudicitia.
Felle carens, & ſimplicem
Habens Mentis Intuitum,
Fraudem cavit multiplicem,
Super Aquarum Tranſitum.
Mundum calcans ſub Pedibus,
Suſpirat ad cæleſtia,
Sacris plenus Operibus,
Lætus gaudet in Patria.
Soli Deo ſit Gloria,
Qui Nos poſt Curſûs Stadia,
Columbæ per Suffragia
Ducat ad Cœli Gaudia.
Amen.

Ad Benedictus, Antiphona.

RElinquens Patriam charam Hiberniam, per Chriſti Gratiam venit in Scotiam, per quem idonea Primordia Vitæ, Rex ſumpſit Gentis Pictiniæ.

Ad Magnificat, Antiphona.

COLUMBA Pacis Speculum, Doctor Veritatis, Puritatis Vaſculum, Norma Sanctitatis, tua per Suffragia Veniam pro peccatis, & Vitam in Gloria poſce cum Beatis.

Miſſa,

Missa, Os justi, *ut in Communi Abbatum, præter Evangelium, quod invenire est in Missa pro Peregrinantibus sub Finem Missalis.* Credo.

Die prima Julii.

IN FESTO

S. RUMOLDI,

Dublinienſium Epiſcopi, & Martyris, Mechlinienſium (in Belgio) Apoſtoli.

Duplex Majus.

Notandum, quod Sacra Rituum Congregatio, Die 8 Julii, 1741. ſtatuit, ut ab Hibernis de S. Rumoldo celebretur Feſtum Die prima Julii, in Octava ſcilicet S. Joannis Baptiſtæ, quibuſcunque Rubricis in Contrarium non obſtantibus.

Omnia ut in Communi unius Martyris, præter hìc poſita.

ORATIO.

DEUS, qui intercedente Beato Rumoldo, Martyre tuo, atque Pontifice, labentis Fluminis Undas tuâ Virtute ſolidaſti, & Triduo ſubmerſum à Mortis Nexibus de Profundis Aquarum mirabiliter eripuiſti: Concede propitius, ut ejus Meritis, & Precibus, à periculoſis hujus Sæculi Fluctibus eripiamur, & ad æternæ Beatitudinis Portum, Te Duce, feliciter perducamur. Per Dominum, &c.

In I. Nocturno.

De Epiſtola prima Beati Petri Apoſtoli.

LECTIO I. *Cap.* 2.

HÆC eſt Gratia, ſi propter Dei Conſcientiam ſuſtinet quis Triſtitias, patiens injuſtè. Quæ enim eſt Gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benè

facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt Gloria apud Deum. In hoc enim vocati eſtis, quia & Chriſtus paſſus eſt pro Nobis, Vobis relinquens Exemplum, ut ſequamini Veſtigia ejus; qui Peccatum non fecit, nec inventus eſt Dolus in Ore ejus; qui cùm malediceretur non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti ſe injuſtè; qui Peccata noſtra ipſe pertulit in Corpore ſuo ſuper Lignum, ut Peccatis mortui, Juſtitiæ vivamus; cujus Livore ſanati ſumus.

Lectio II. *Cap.* 3.

OMNES unanimes ſitis, compatientes, Fraternitatis Amatores, miſericordes, modeſti, humiles, non reddentes Malum pro Malo, nec Maledictum pro Maledicto, ſed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati eſtis, ut Benedictionem Hæreditate poſſideatis. Qui enim vult Vitam diligere, & Dies videre bonos, coerceat Linguam ſuam à Malo, & Labia ejus ne loquantur Dolum. Declinet à Malo, & faciat Bonum; inquirat Pacem, & ſequatur eam, quia Oculi Domini ſuper Juſtos, & Aures ejus in Preces eorum; Vultus autem Domini ſuper facientes Mala. Et quis eſt, qui Vobis noceat, ſi boni Æmulatores fueritis? Sed ſi quid patimini propter Juſtitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.

Lectio III. *Cap.* 4.

CHariſſimi, nolite peregrinari in Fervore, qui ad Tentationem Vobis fit, quaſi novi aliquid Vobis contingat; ſed communicantes Chriſti Paſſionibus gaudete, ut & in Revelatione Gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in Nomine Chriſti, beati eritis, quoniam quod eſt Honoris, Gloriæ, & Virtutis Dei, & qui eſt ejus Spiritus, ſuper Vos requieſcit Nemo autèm Veſtrûm patiatur ut Homicida, aut Fur, aut Maledicus, aut Alienorum Apetitor: Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto Nomine. Quoniam Tempus eſt ut incipiat Judicium à Domo Dei. Si autem primum à Nobis, quis Finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? Et ſi Juſtus vix ſalvabitur, impius, & Peccator ubi parebunt? Itaque & hi qui patiuntur ſecundùm Voluntatem Dei, fideli Creatori commendent Animas ſuas in Benefactis.

In II. Nocturno.

Ex variis Breviariis, præsertim Canonicorum Regularium Lateranensium, Diæcesumque Mechlinienſis, ac Leodienſis; necnon ex Theodorico Abbate S. Trudonis, Baronio, Spondano, Surio, Bollando, Molano, Miræo, Bailleto, aliisque claris Auctoribus.

Lectio IV.

CUM in Hiberniæ Insula, Scotia olim dicta, David Rex Dublinii, & ejus Conjux Cæcilia, Regis Caſeliæ, Momonienſium Metropolis, Filia, nullâ jam Prolis Spe tenerentur, Precibus Sancti Gualaferi, Dublinienſium Antiſtitis, Filium à Deo impetrarunt. Is & Angelo nunciante conceptus, & eodem monente in Lucem editus, à memorato Epiſcopo baptizatus fuit, & Rumoldus nominatus. Puer egregiâ præditus Indole, ab ipſis Incunabulis ter in Hebdomada ab omni Lacticiniorum Genere abſtinebat, quam etiam Abſtinentiam uſque ad Vitæ Extremum inviolatè obſervavit. Sub laudato Dublinienſium Præſule, uſque ad Annum Ætatis quintum decimum, Artium Diſciplinis mirificè imbutus, à Patre ad Regiam Aulam revocatur, ubi Precationibus, Eleemoſynis, & cæteris Pietatis Operibus, vacans, Angelicâ Viſione confortatus, totum Se Nuditati, Paupertati, Corporiſque Afflictioni, ità devovit, ut regales Nuptias, & Regnum ſibi à Parentibus oblatum, conſtantiſſimè recuſaret. Defuncto Gualafero, Angelico Monitu in ejus Locum, totis licèt Viribus reluctans, ſufficitur, & à Cuthberto Cantuarienſium Antiſtite, duobuſque aliis aſſiſtentibus Præſulibus, in Dublinienſi Cathedrali Epiſcopus conſecratur. Inito Pontificatu, multos à Dæmonum Caſtris ad Chriſti Stipendia traxit; plures à Flagitiis ad Pœnitentiam perduxit; Egentes innumeros, & Verbis, & Eleemoſynis alleviavit. Et quamquàm ſic potuerit eo in Faſtigio fulgere, nihilominùs alienæ Salutis Amor, & propagandi Chriſti Imperii Cupiditas, acriùs ejus Animum extimulabant. Quippè ſervire Hominum Redemptori Chriſto in tàm honorifica Expeditione, quàm aliis præeſſe, & Obſequiis coli, malebat. Præterea, Genitore Rege è Vivis ſublato, in Regno ampliùs detineri non potuit, ne ad ejus Solium aſſumeretur. Itàque primæ Nobilitatis, regiæque Fa-

miliæ, Contemptu clarus, commiſsâ alteri Pontificali Curâ, Patriâque, ac Stemmatis Succeſſione, deſertis, ad Principem Mundi Urbem, Romam, contendit.

LECTIO V.

IN Itinere conſtitutus, nullam prædicandi Verbi Dei Occaſionem prætermiſit. Interdùm quoque, ubi Res poſtulavit, in Gallia ſignanter, & Alemannia, ad Infidelium Converſionem Miracula adhibuit. Romam tandem appulſus, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Monumenta aſſiduò inviſit, Martyrumque Sepulchra crebrò frequentavit, eorum Sortem, Pugnaſque, æmulâ, ſerventiſſimâque Charitate contemplans, & ambiens, hoc unum nempè efflagitans, ut ſuis Precibus optatiſſimam Martyrii Palmam ipſi obtinerent. Nec eum Vota fefellerunt, nàm divinitùs per Angelum, ut in Galliam Belgicam ſecedat, admonetur. Quare reſignato Epiſcopali Munere in Manibus Stephani Papæ Tertii (qui Sanctum Sedulium, Doctrinâ, & Pietate celebrem, Dublinienſi Sedi præfecit) acceptâque Summi illius Sacrorum Principis Benedictione, fauſtâque Apprecatione, in Belgium, ac Mechliniam, ſe confert. Ibi Adoni Archicomiti, Pipini Francorum Regis Cognato, Prolis Spe prorsùs deſtituto, ſuis Precibus & Sobolem feliciſſimam ex Eliſa Uxore pluſquàm ſexagenariâ, impetravit, eandemque extinctam Vitæ reſtituit. Ab eo Principe cùm Locum iis in Regionibus obtinuiſſet, in Ulmeto Canonicorum Regularium Monaſterium, & Divi Protomartyris Stephani Ædiculam, extruxit, Dei miſerantis Opeità Sibi favente, ut licèt, Hunnis, Daniſque, hoſtili Furore graſſantibus, circumſtantes Regiones, Cænobia, Templa, Ferro, & Igne fuerint abſumpta, Rumoldi Locus per omnia immunis permanſit. Ipſe verò Chriſtianam Fidem in Mechlinienſi Tractu primus annuncians, Homines Eccleſiæ Chriſti aggregavit, tàm indefeſſo Studio, tantoque Proventu, ut Mechlinia ſe totam per eum orthodoxam mirata fuerit, & ipſe Mechlinienſium Apoſtolus Jure merito ſit dictus Verùm excurrit latiùs, longiùſque ejus Ardor Pietatis, nam vicinos ad Scaldum Populos, qui in Brabantiæ Finibus cenſentur, Chriſtianæ Religioni adjunxit.

LECTIO

Lectio VI.

IVISSET etiam ulteriùs ejus Labor, ſed tantum ſacroſanctæ Dei Eccleſiæ Bonum Dæmon invidit. Siquidem cùm in Dies propagandæ magis, ac magis, Fidei inſiſteret, duos calidus Hoſtis Sicarios, qui Vitæ ejus inſidiarentur, excitavit. Utrumque Auri Cupido, alterum etiam Pudor, & Vindicta, quòd à Præſule, veluti Baptiſtâ, de Adulterio reprehenderetur, impellebant. Nacti igitur Occaſionem, ſanctiſſimum Virum occidunt, & Corpus Facinori obtegendo, in præterlabentem Fluvium demergunt. Sed miro quodam Lumine proditum, & expiſcatum, piiſſimus Ado Archicomes in recenſitâ Divi Stephani Protomartyris Æde honorificentiſſimè condidit, ſuiſque illi Lacrymis, & affluentium Populorum Ejulatu, parentavit. Dein poſt multorum Annorum Curricula, & complurium Signorum edita Prodigia, magnâ cum Veneratione, & Solemnitate, Mechliniam tranſlatum, atque in ſpectabili Feretro ex Argento, variis Gemmis diſtincto, aliiſque Ornamentis condecorato, collocatum, in Eccleſia ipſius Sancti Rumoldi, quæ nunc Metropolitana eſt, reconditum fuit. Sacras Rumoldi Exuvias Donariis, & latinâ Laudum Concione, veneratus eſt Leo Papa Tertius, Anno octingenteſimo octavo, dùm ad Carolum Magnum, Romanorum Imperatorem, necnon Francorum Regem Chriſtianiſſimum, pergeret. Cùm Mechlinia, Anno primo ſuprà milleſimum tercenteſimum, validâ Bellatorum Manu undique obſeſſa eſſet, piè creditum eſt, Beatum Rumoldum Precibus ſuis apud Altiſſimum Urbem hanc, ejus Opem devotè, enixèque implorantem, ab hoſtili Irruptione defendiſſe. Quam ob miraculoſam Victoriam, ejus Reliquias aureâ Thecâ recondiderunt Mechlinienſes, & quotannis publicâ Supplicatione circumgeſtant. Paſſus eſt autem Beatus Rumoldus Die vigeſimâ quartâ Junii, Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Adriano Primo Summo Pontifice. Ne autem Feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ indè impediretur, Alexander Papa Quartus, qui inclytum Chriſti Martyrem, & Epiſcopum, in Vita & poſt Mortem Miraculis coruſcantem, Sanctorum Faſtis adſcripſe-

rat,

rat, ſtatuit, ut in Octava Præcurſoris, ipſis nimirùm Kalendis Julii, Memoria Sancti Rumoldi recoleretur.

In tertio Nocturno Homil. in Evang. Si quis venit ad me, *ut in Communi unius Martyris.*

Miſſa, ut in Communi unius Martyris Pontificis, cum dicto Evangelio. Credo *propter Octavam Apoſtolorum.*

Die VIII. Julii.

IN FESTO

S. KILIANI,

Primi Epiſcopi Herbipolenſis, ſeù Wurtzi-burgenſis, (in Franconia) & Martyris, Teutonicæ Franciæ Apoſtoli.

Duplex Majus.

Omnia ut in Communi unius Martyris, præter hìc poſita.

ORATIO.

DEUS, qui incredulas Gentes, Beati Kiliani Martyris tui, atque Pontificis, Prædicatione, & Miraculis, de Tenebris, & Umbra Mortis eripere, Viamque Veritatis agnoſcere voluiſti: Ipſius Meritis, & Interceſſione da cunctis, qui Chriſtianâ Profeſſione cenſentur, & illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt Nomini, & ea quæ ſunt apta ſectari. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno Lectiones ut in Feſto S. Rumoldi, Die 1. *Julii, Pag.* 63.

In II. Nocturno.

Ex Notkero Balbulo, Henrico Canifio, Mariano Scoto, Nicolao Serrario, Surio, Mabillonio, Bollando, aliiſque probatis Auctoribus, & Breviario Benedictino.

LECTIO

Lectio IV.

KILIANUS, nobili Hibernorum Stirpe natus, à Pueritia liberalibus Studiis eruditus, divinâ eum Gratiâ præveniente, abnegavit Semetipſum Sibi, tulitque Crucem ſuam, & ſecutus eſt Chriſtum. Spretis igitur, cunctis hujus Mundi Illecebris, ad Monaſterium, ceù ad tutiſſimum Salutis Portum, confugit, ubi Monaſticam Vitam ſub Regula Sancti Benedicti profeſſus, Jejuniis, Vigiliis, Orationibus, & diligenti divinarum Rerum Contemplatione, in Stadio Pietatis uſque adeò profecit, ut ab omnibus propter Sanctitatis Opinionem coactus fuerit per Eccleſiaſticos Gradus ad ſacrum Preſbyteratûs Ordinem aſcendere, & poſteà Regiminis Monaſterii Curam ſuſcipere. Sed cùm Fama beati Abbatis longè latèque crebreſceret, veritus ne Populi Favore, Gentiſque Applauſu, in Crimen inanis Gloriæ incideret, Præſulatu abdicato, Soloque natali relicto, accitis quibuſdam Sociis, Doctrinâ inſigniter imbutis, Zeloque Chriſtianæ Fidei propagandæ ſuccenſis, per Britanniam in Galliam, Tempore Pipini Regis, pervenit. Wurtzburgum, ſeù Herbipolim, ad Mænum Fluvium, Teutonicæ Franciæ, ſeù Franconiæ, Metropolim, tandem appulit, incredulis Regionis illius Gentibus Chriſtum annunciaturus, ſimulque Viam ad Martyrium, quod magnoperè deſiderabat, paraturus. Interim tamen à Prædicationis Munere abſtinuit, donec ſe Romano Pontifici præſentaret, à quo & integrum Chriſtianæ Religionis Dogma, & prædicandi Facultatem accipiens, in Opus Evangelii cum Poteſtate mitteretur. Romam igitur profectus Anno ſexcenteſimo octogeſimo ſexto, & à Conone Summo Pontifice Herbipolenſis Epiſcopus ordinatus, cum Colmano Preſbytero, & Totnano Levita, Monachis Hibernis, Urbe egreditur, Herbipolim reverſurus.

Lectio V.

LONGISSIMO emenſo Itinere, ad Locum deſtinatum tandem pervenit, ubi divini Verbi Prædicationem ſtatim aggreſſus, Goſbertum Franconiæ Ducem, cum maxima Populi Multitudine, ad Chriſti Fidem convertit. Indeque factum eſt, ut tota illa Regio, relicto Dæmonum Cultu, divinæ Religioni Operam

ram daret, ipſequé Kilianus Francorum Orientalium Apoſtolus meruit appellari. Porrò Goſbertus Dux, aſſiduâ beatiſſimi Viri Adhortatione, in Chriſtiana Religione multùm proficiebat, verùm Uxorem habebat, Nomine Geilanam, quæ ipſius quondam Fratri Matrimonii Jure copulata fuerat, quas Nuptias præclarus Epiſcopus in ipſis Fidei Initiis idcircò prohibere noluit, ne Princeps, eâ Re abſterritus, ſuſceptæ ſacroſanctæ Religionis Pœnitudine duceretur. Diſtulit propterea egregius Vir in aliud Tempus magis opportunum, quo quidem Occaſionem nactus, illicitum eſſe Conjugium illud, Principi manifeſtat, ſimulque ſuadet, ut, Geilanâ dimiſsâ, nihilque apud Se priſtini Erroris retinens, integrum Se Deo, quem feliciter agnoverat, reſtituat. Goſbertus primùm Stupore hærens id ægrè tulit, multaque machinari cæpit ne Conjugem, quam diligebat vehementer, relinqueret; aſt beatiſſimi Antiſtitis Suaſionibus mox mitior factus, ei ſpopondit, Se ex Prælio, quod adversùs Reipublicæ Hoſtes arripiebat, reverſum, ipſam illicò dimiſſurum. Hæc cum ad Aures Geilanæ perveniſſent, gravi incanduit Irâ, prorsùs ut Virum ſanctum, ejuſque Socios, antè Mariti Reditum, ſine populari Strepitu, è Medio tollere meditaretur, inventique duo tanti Sceleris Pretio conducti Miniſtri, ejus ſe Deſideriis ſatisfacturos promittebant.

Lectio VI.

NEQUE latuit ea Fraus Sanctiſſimum Præſulem, nàm Noctû à quodam, tàm Habitu, quàm Formâ, pulcherrimo, per Quietem admonitus, in futurum Certamen cum beatis ſuis Sociis, excubabat. Illis igitur intempeſtâ Nocte concubiâ Oratione ardentiſſimè vacantibus, Carnifices ſtrictis Gladiis Locum penetrarunt. Quos ſacer Vir intuitus; Amici, inquit, ad quid veniſtis? Vos implebitis Mundatum, Nos Curſum conſummabimus. His dictis, interfecti ſunt, octavo Idûs Julii, Anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo nono, Sergii Papæ Primi ſecundo. Intereà Princeps, profligato Hoſte, reverſus, ſtudiosè Sanctos inquirere cæpit, quos Geilana Peregrinationis ergò aliò profectos mentita eſt, tàm immane ſcilicet Facinus cæ-

lare

lare ſtudens, ſed fruſtrà; duo enim illi Carnifices ſubitò à Dæmone correpti, & in Rabiem verſi, alter propriis ſe Dentibus lanians, alter verò Gladio ſe confodiens, Scelus commiſſum, Remque totam detexerunt. Geilana denique, à Dæmone ſæviſſimè vexata, beatiſſimum Antiſtitem Kilianum, quem injuſtè occiderat, ſibi nimis infeſtum vociferans, Cruciatibus aucta furiens, horendâ Morte Vitam finivit. Horum Martyrum Corpora Sanctus Burchardus, ex Monacho Benedictino Herbipolenſis Epiſcopus, à Terra elevavit, ac in Baſilica à Se erecta recondidit, Idibus Februarii, Anno ſeptingenteſimo quinquageſimo quinto, à Romanoque Pontifice impetravit, ut iiſdem Sanctis Martyribus, Miraculorum Gloriâ claris, Honor debitus deferreretur.

In tertio Nocturno Homil. in Evang. Si quis venit ad me, *ut in Communi unius Martyris*

Miſſa, ut in Communi unius Martyris Pontificis, cum dicto Evangelio.

Die XXX. Auguſti.

IN FESTO

S. FIACRII,

Eremitæ.

Duplex Majus.

Hoc Officium deſumptum eſt ex Proprio SS. Diœceſis Meldenſis in Gallia, & Eccleſiæ Parochialis Sancti Judoci Pariſiis.

[*Qui recitare tenentur nonum Reſponſorium, illud deſumant ex Communi Confeſſorum; ad primas autem Veſperas dicere poterunt Reſp.* VI. Ecce Servus.]

Ad

Ad Veſperas.

Ant. SECESSIT in deſertum Locum, ibique Vitam agebat, ne Particeps eſſet Coinquinationis.

Pſalmi conſueti.

Ant. Poſuit Dominus Deſertum ejus quaſi Delicias, & Solitudinem quaſi Hortum.

Ant. Erat Vir, qui abſcondebatur à Vento, & celavit ſe a Tempeſtate, in Terra deſerta.

Ant. Confortabatur à Spiritu, & erat in Deſerto uſque in Diem Oſtenſionis ſuæ.

Ant. Protegebatur ſub Tegmine Sapientiæ, & in Gloria ejus requieſcebat.

Capitulum. Proverb. 3.

BEATUS Homo, qui invenit Sapientiam, & qui affluit Prudentiâ: Melior eſt Acquiſitio ejus Negotiatione Argenti, & Auri primi, & puriſſimi Fructus ejus.

Hymnus.

LUcernæ novæ Speculâ
Illuſtratur Hibernia,
Coruſcat Meldis Inſula,
Tantæ Lucis Præſentia.
Illa miſit Fiacrium,
Hæc miſſum habet Radium,
Habent commune Gaudium,
Hæc Patrem, illa Filium.
Ad Vitam ſolitariam
Suſpirans exit Patriam,
Faronem Meldis reperit,
Cui ſuum Votum aperit.
Hunc Loco ſolitario,
Locat in Solo proprio,
Hinc fit Joanni ſimilis,
Cultor Deſerti ſterilis.
Deo Patri ſit Gloria,
Ejuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne Sæculum. *Amen.*

Verſ. Elongavit fugiens, & manſit in Solitudine. *Reſp.* Quoniam vidit Iniquitatem, & Contradictionem in Civitate.

Ad Magnificat, Antiphona.

A Voce Gemitûs ejus adhæſit Os Carni ſuæ, ſimilis factus eſt Pellicano Solitudinis, ſicut Nycticorax in Domicilio vigilavit, & ſicut Paſſer ſolitarius in Tecto.

Oratio.

DEUS, qui Beatum Fiacrium Confeſſorem tuum abſcondiſti in Abſcondito Faciei tuæ à Conturbatione Hominum, protegens eum in Tabernaculo Solitudinis, ubi ad Cor ipſius loqui dignatus es: Tribue quæſumus, ut ejus Exemplo edocti, atque in Lege tua meditantes Die ac Nocte, eligamus abjectos eſſe in Domo

tua magis quàm habitare in Tabernaculis Peccatorum. Per Dominum, &c.

Ad Matutinum.

Invitatorium: Chriſtum Dominum requieſcentem in Deſerto. * Venite adoremus.

Hymnus.

DUM Locum ſignat Baculo,
Novo Nemus Miraculo
Tanquam cæſum dejicitur,
Humo non foſsâ cingitur.
Sic Sancti Viri Meritum
Loci dilatat Ambitum,
Res innoteſcit Fæminæ,
Accuſat ut de Crimine.
Damnat Opus Malefici,
Diffamat Artem Magici,
Præſentandus hic Præſidi,
Laſſus inſedit Lapidi.
Lapis cedit nec cæditur,
Petræ Sedes inſculpitur.
O Fæminæ Nequitia!
Petræ major Duritiâ.
Orat ne intret Limina
Immunis ulla Fæmina:
Hæc eſt Cauſa cur Fæminæ
Arcentur ejus Limine.
Deo Patri ſit Gloria,
Ejuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne Sæculum. *Amen.*

Pſalmi de Communi Confeſſorum.

In I. Nocturno.

Ant. Ambulavit dignè, Deo per omnia placens, in omni Opere bono fructificans, & creſcens in Scientia Dei.

Ant. Contendebat intrare per anguſtam Portam, quæ ducit ad Vitam, quia Amicitia hujus Mundi inimica eſt Dei.

Ant. Sub Umbra Alarum tuarum ſperavit donec tranſiret Iniquitas, confitens quia Peregrinus, & Hoſpes erat ſuper Terram: De Patria exivit meliorem appetens cæleſtem.

Verſ. Pingueſcent Specioſa Deſerti. *Reſp.* Et Campi tui replebuntur Ubertate.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio I. *Cap.* 2.

FILI accedens ad Servitutem Dei, ſta in Juſtitia, & Timore, & præpara Animam tuam ad Tentationem. Deprime Cor tuum, & ſuſtine: Inclina Aurem tuam, & ſuſcipe Verba Intellectûs, & ne feſtines in Tempore Obductionis. Suſtine Suſtentationes Dei, conjungere Deo, & ſuſtine, ut creſcat in Noviſſimo Vita tua.

Omne quod Tibi applicatum fuerit, accipe; & in Dolore ſuſtine, & in Humilitate tua Patientiam habe. Quoniam in Igne probatur Aurum, & Argentum, Homines verò receptibiles in Camino Humiliationis.

Reſp. Egredere de Terra tua, & de Cognatione tua, & de Domo Patris tui, & veni in Terram, quam monſtrabo Tibi: * Et magnificabo Nomen tuum, eriſque benedictus in æternum. *Verſ.* Vade, & vende univerſa, quæ habes, & da Pauperibus, & ſequere Me: * Et magnificabo.

LECTIO II.

CREDE Deo, & recuperabit te: Et dirige Viam tuam, & ſpera in illum: Serva Timorem illius, & in illo veteraſce: Metuentes Dominum ſuſtinete Miſericordiam ejus; & non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur Merces veſtra. Qui timetis Dominum, ſperate in illum, & in Oblectationem veniet Vobis Miſericordia. Qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabuntur Corda veſtra. Reſpicite Filii Nationes Hominum, & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim permanſit in Mandatis ejus, & derelictus eſt? Aut quis invocavit eum, & deſpexit illum?

Reſp. Fugite de Medio Babylonis, & ſalvet unuſquiſque Animam ſuam. * Quoniam Tempus Ultionis eſt à Domino. *Verſ.* Exite de illa, ut ne Participes ſitis Delictorum ejus, & de Plagis ejus non accipiatis. * Quoniam.

LECTIO III. *Cap.* 6.

FILI à Juventute excipe Doctrinam, & uſque ad Canos invenies Sapientiam. Quaſi is, qui arat, & ſeminat, accede ad eam, & ſuſtine bonos Fructus illius. In opere enim ipſius exiguum laborabis, & citò edes de Generationibus illius. Quàm aſpera nimiùm eſt Sapientia indoctis Hominibus, & non permanebit in illa excors. Quaſi Lapidis Virtus Probatio erit in illis, & non demorabuntur projicere illam. Sapientia enim Doctrinæ ſecundum Nomen eſt ejus, & non eſt multis manifeſta, quibus autem cognita eſt, permanet uſque ad Conſpectum Dei.

Reſp.

Resp. Exeamus ad Jesum extrà Castra, Improperium ejus portantes. * Non enim habemus hìc manentem Civitatem, sed futuram inquirimus. *Vers.* Surgite, & ite, quia non habetis hìc Requiem * Non enim. Gloria Patri. * Non enim.

In II. Nocturno.

Ant. ERIT in Deserto Pax, & Cultus Justitiæ, Silentium, & Securitas, usque in Sempiternum.

Ant. Descendit, quærens Judicium, & Justitiam, in Desertum, ibique morabitur.

Ant. Sedebit in Pulchritudine Pacis, in Tabernaculis Fiduciæ, & in Requie opulenta.

Vers Humiliabat in Jejunio Animam ejus, *Resp.* Et Oratio ejus in Sinu suo convertebatur.

Ex Proprio SS. Diœcesum Parisiensis, Senonensis, Burdigalensis, & Antisiodorensis, necnon ex Capgravio, Mabillonio, Surio, aliisque probatis Auctoribus.

Lectio IV.

FIACRIUS, qui & Fefrus, in Hibernia, quam Veteres Scotiam appellabant, nobilissimis Parentibus ortus, Meldos in Gallia Lugdunensi ad Sanctum Faronem, ejusdem Civitatis Episcopum, solitariæ Vitæ Desiderio, cum aliquot Sociis venit. Ejus Votis annuens beatus Antistes, Locum à Turbis remotum, & Sylvis circumtectum, è Patrimonio suo, Nomine Brogilum, illi concessit. Ibi Fiacrius, evulsis Arboribus, Monasterium in Honorem Sanctissimæ Virginis constituxit, in quo Peregrinos, & Hospites excipiebat, exiguâ Sibi seorsùm ædificatâ Domo, ubi cælestium Contemplationi totus intentus, admirandæ Vitæ Sanctimoniâ, & Signorum circà Energumenos, alioque Infirmos, Virtute clarus effulgebat. Cùm autem Miraculorum ejus Fama longè latèque diffunderetur, undequaque ad eum adducebantur Ægri, quos solâ Manûs Impositione Sanitati restituebat. Mulieres autem Oratorii sui Aditu omninò prohibuit.

Resp. Invenit eum Dominus in Terra deserta, in Loco Horroris, & vastæ Solitudinis. * Custodivit eum quasi Pupillam Oculi sui. *Vers.* In Terra aliena demoratus est, in Casulis habitando, expectabat enim Funda-

menta habentem Civitatem, cujus Artifex, & Conditor Deus. * Cuſtodivit.

Lectio V.

FUIT ei Sanguine conjunctus Beatus Kilianus Epiſcopus, & Confeſſor (cujus Feſtivitas in Albinacenſi ſua Canonicorum Regularium Eccleſia Diœceſis Attrabatenſis in Gallia Belgica, Idibus Novembris celebratur) quem ex Romana Peregrinatione revertentem honorificè ſuſcepit Fiacrius, & apud ſe aliquandiù retinuit, divinis Colloquiis cum ipſo vacaturus. Tandem clarus Anachoreta Meritis plenus, multiſque Miraculis illuſtris, Vitâ ſanctiſſimè functus, de Exilio hujus Mundi ad cæleſtem Patriam migravit, tertio Kalendas Septembris, Anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo, Honorii Papæ Primi quinto. Scripſiſſe fertur Librum Meditationum, & alterum Librum de Monaſticæ Vitæ Laude ad Germanam ſuam Sororem, Sanctam Syriam, cujus Feſtivitas in Trecaſſenſi, & Antiſidorenſi Galliæ Diœceſibus, ſexto Idûs Junii celebratur. Corpus Sancti Fiacrii in Oratorio ſuo ſepultum manſit ad Annum uſque milleſimum ducenteſimum trigeſimum quartum, cum ſublatum è Tumulo per Philippum Meldenſem Epiſcopum, ibi Venerationi Fidelium eſt expoſitum. Indè autem ad Eccleſiam Cathedralem tranſlatum eſt, Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, ne in illud Calviniani pro More ſuo impiè deſævirent. Frequentari tamen non deſiit magno Populorum Concurſu Locus Sancti Anachoretæ Veſtigiis, & Converſatione, conſecratus, in quo conſtructum fuerat Benedictinorum Cœnobium ſub Abbatis Meldenſis Monaſterii Sancti Faronis Regimine, ſed in Prioratum poſtmodùm erectum, Anno milleſimo tercenteſimo decimo tertio.

Reſp. Quæ mihi fuerunt Lucra, omnia Detrimentum feci, * & arbitror ut Stercora, ut Chriſtum lucrifaciam, *Veſp.* Quoniam omne Aurum in Comparatione illius Arena eſt exigua * Et arbitor.

Lectio VI.

BEATI Fiacrii Caput, unumque ejus Brachium, in pretioſis Capſis ſeorſim repoſita fuere, ut in publicis deferrerentur Proceſſionibus; ſacraſque illas Reliquias piè venerantibus Gregorius Papa Nonus Indulgentias conceſſit.

conceſſit. Die autem ſexta Octobris Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſeptimi, Joannes Belleau, Meldenſis Antiſtes, Scrinium ejuſdem Sancti aperuit, ex eoque Sacrarum Reliquiarum extraxit Particulam, quam, in eleganti recluſam Theca, ad Magnum Eturiæ Ducem miſit. Nonnullæ etiam ſacrarum Exuviarum Reliquiæ religioſiſſimè coluntur Lutetiæ Pariſiorum, in Regia Dominarum Benedictinarum Vallis de Gratia Abbatia, ac in Clericorum Regularium Barnabitarum Æde, Beato Eligio ſacrâ, necnon in Eccleſia Parochiali Sancti Judoci, in qua ut ſecundus habetur Patronus, ibique erecta in Honorem Beati Fiacrii Conſodalitas, ejus Feſtum cum Octava quotannis ſolemni Ritu celebrat. Quamplurimæ inſuper ſunt aliæ per Franciam, Belgiumque Confraternitates ſub Invocatione præclari hujus Sancti, cujus Officium cum Miſſa in univerſo Galliarum Regno anniverſariâ ejus Dormitionis Die recitatur.

Reſp. Ecce Servus meus electus, complacuit Sibi in illo Anima mea * Requieſcat ſuper eum Spiritus Sapientiæ, & Intellectûs, Spiritus Conſilii, & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & Pietatis. *Veſp.* Hic eſt Filius meus dilectus, in quo Mihi benè complacui. * Requieſcet. Gloria Patri. * Requieſcet.

In III. Nocturno.

Ant. INDUTUS Armaturâ Dei, fortiter ſtetit adverſùs Inſidias Diaboli, Chriſti Mortificationem jugiter portans in Corpore ſuo.

Ant. Carnem ſuam cum Vitiis, & Concupiſcentiis crucifigens, ſcivit abundare, & Penuriam pati, eſurire, & ſitire.

Ant. Mittens ſemel Manum ad Aratrum, non reſpexit retrò, ſed tanquàm mortuus Sæculo Vitam duxit abſconditam cum Chriſto in Deo.

Verſ. Propter Verba Labiorum tuorum Domine. *Reſp.* Cuſtodivi Vias duras.

Homilia in Evang. Ecce nos reliquimus omnia, *ut in Feſto S. Furſæi, Die* 16 *Januarii, Pag.* 7. *Nona autem Lectio de SS. Martyribus Felice, & Adaucto.*

Reſp. VII Bonum eſt Viro cùm portaverit Jugum ab Adoleſcentia ſua * Sedebat ſolitarius, & tacebat, quia

levabat ſuprà ſe. *Veſp.* In Solitudine errans, in Montibus, & Speluncis, & in Cavernis Terræ * Sedebat.

Reſp. VIII. Dilectus Deo, & Hominibus, cujus Memoria in Benedictione eſt. Corpus ejus in Pace ſepultum eſt * Et nomen ejus vivet in Generationem, & Generationem. *Verſ.* Qui credit in Me, Opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet. * Et Nomen ejus. Gloria Patri. * Et Nomen ejus.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas.

Ant. MOrtificatus Carne, vivificatus Spiritu, pernoctans in Oratione Dei, non ſedebat in Conſilio Ludentium, ſed ſolus ſedebat Comminatione repletus. *Pſalmi conſueti.*

Ant. Nocte, & antè Lucem egrediebatur foràs ad Orationem, & deprecabatur Dominum.

Ant. Non gratis Panem manducavit ab aliquo, ſed in Labore, & in Fatigatione, Nocte, & Die operans.

Ant. Spiritu fervens, Domino ſerviebat: Spe gaudens, in Tribulatione patiens, Orationi inſtabat.

Ant. Exercens Seipſum ad Pietatem, per Patientiam, & Conſolationem Scripturarum abundabat in Spe, & Virtute Spiritûs Sancti.

Capitulum, Beatus Homo *ut in primis Veſperis.*

HYMNUS.

HIC Miſeris Refugium,
Infirmis Refrigerium,
Peregrinis Hoſpitium,
Spes Lapſis, Mæſtis Gaudium.

Vitam arctat Jejunio,
Somno brevi, Cilicio,
Se dum occultat Latebris,
Mundo fit magis celebris.

Virtutum fulget Titulis,
Medetur cæcis Oculis,
Polybo, Fico, Calculis,
Febribus, Morbis ſingulis.

Fidentem in Fiacrio
Nulla lædet Corruptio,
Pia cujus Devotio,
Purgat ab omni Vitio.

Deo Patri ſit Gloria,
Ejuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne Sæculum. *Amen.*

Verſ. Cogitavi Dies antiquos. *Reſp.* Et Annos æternos in Mente habui.

Ad

Ad Benedictus, Antiphona.

OPERUIT in Jejunio Animam ſuam, & poſuit Veſtimentum ſuum Cilicium, Cinerem tanquam Panem manducabat, & Potum ſuum cum Fletu miſcebat.

Ad Tertiam, Capitulum ut ſuprà in Veſperis.

Reſp. PIngueſcent * Specioſa Deſerti. * Pingueſcent. *Verſ.* Et Campi tui replebuntur Ubertate. * Specioſa Deſerti. Gloria Patri. * Pingueſcent.

Verſ. Humiliabat in Jejunio Animam ejus. *Reſp.* Et Oratio ejus in Sinu ſuo convertebatur.

Ad Sextam, Capitulum. 1 *Joan.* 5.

OMNE quod natum eſt ex Deo vincit Mundum: & hæc eſt Victoria, quæ vincit Mundum, Fides noſtra.

Reſp. Humiliabat in Jejunio * Animam ejus, * Humiliabat. *Verſ.* Et Oratio ejus in Sinu ſuo convertebatur. * Animam ejus. Gloria Patri. * Humiliabat.

Verſ. Propter Verba Labiorum tuorum Domine, *Reſp.* Cuſtodivi Vias duras.

Ad Nonam, Capitulum. 1 *Cor.* 9.

OMNIS, qui in Agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem ut corruptibilem Coronam accipiant, Nos autem incorruptam.

Reſp. Propter Verba * Labiorum tuorum Domine * Propter. *Verſ.* Cuſtodivi Vias duras. * Labiorum tuorum Domine. Gloria Patri. * Propter.

Verſ. Cogitavi Dies antiquos. *Reſp.* Et Annos æternos in Mente habui.

Ad Magnificat, Antiphona.

IN Solitudine portavit eum Dominus, ut ſolet Homo geſtare Pavulum Filium ſuum in omni Via, per quam ambulavit, & nihil illi defuit.

Miſſa, Os Juſti, *ut in Communi Confeſſoris non Pontificis, excepto Evangelio, quod invenire eſt in Communi Abbatum.*

Die

Die XXV. Septembris.

IN FESTO

S. FIRMINI,

Primi Epiſcopi Ambianenſis (in Picardia) & Martyris, ac Ambianenſis Diæceſis Patroni ; necnon Aginenſium, Arvernorum, Andegavenſium, Bellovacenſiumque (in Gallia) Apoſtoli.

Duplex Majus.

Omnia de Communi unius Martyris, præter hìc poſita.

ORATIO.

DEUS, qui hunc Diem Beati Firmini Martyris tui, atque Pontificis, Triumpho conſecraſti : Exaudi Preces Populi tui, & præſtà, ut qui ejus Merita veneramur, Fidei Conſtantiam imitemur. Per Dominum, &c.

Lectiones primi Nocturni ut in Feſto S. Rumoldi, Die 1 *Julii, Pag.* 63.

In II. Nocturno.

Ex Actis apud Boſquæum in Hiſtoria Eccleſiæ Gallicanæ, necnon ex Proprio SS. Diæceſum Pariſienſis Senonenſis, ac Ambianenſis, & Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium.

LECTIO IV.

FIRMINUS, primus Ambiani Epiſcopus, Sanguinis Splendore, & Sanctitatis Titulo celeberrimus, in Hibernia natus, Patrem habuit ex Senatorio Ordine clariſſimum, Nomine Firmum, à quo Firminus appellatus fuit. Adhuc Puer, Ingenio facili, facundo, & ſuavi, præditus,

præditus, piiſque Studiis, & ſacris Exercitationibus, intentus, Honeſto Preſbytero divinis Literis imbuendus traditur, ſub quo in Doctrina, & Sanctitate mirum in Modum ità profecit, ut, Anno Ætatis ſuæ decimo ſeptimo nondùm expleto, Vice Magiſtri ſui Prædicationis Munus aſſumens, eo ſummâ cum Laude, atque Animarum Fructu, functus fuerit. A laudato Magiſtro ſuo ad Honoratum, Epiſcopum Tholoſatem, miſſus, inter Canonicos Regulares illius Eccleſiæ adſcriptus fuit, & Preſbyter, ac etiam Epiſcopus ordinatus, ut ſcilicet Chriſtum ubique Gentibus prædicaret. Erat enim Vir omni Laudis Genere clarus, in divinis Scripturis eruditiſſimus, Eloquio diſertus, Senſu profundus, Ingenio ſubtilis, Aſſertione nervoſus, Vitæ Converſatione ſanctiſſimus, in Homiliis ad Populum declamandis mirabilis. Annum igitur agens trigeſimum primum Patrios Lares, & Magiſtrum, reviſens, omnibus, quæ habebat, a ſe abdicatis, ad Munus Apoſtolicum, Mundi Curis ſolutus, ingenti cum Zelo, & indicibili Fervore, ſe applicuit.

Lectio V.

QUippè ne in eo Sapientia foret abſcondita, neve cæleſti Patrifamilias diſpliceret defoſſa Pecunia, ad multiplicandum Sibi credita, aſſiduis Prædicationibus divina Verba fructificare ſtuduit, inſimulque extirpando Vitia, Meſſem Chriſti quoquomodo ſuffocantia, quæ ſeminando edocuit, bonorum operum Exemplis adimplevit. Cæleſtem namque in Terris degebat Vitam, & Morum Sanctitate puriſſimam; & ſicut in Seipſum rigidus, & auſterus, ſuprà quàm credi poteſt, extitit, ità in Proximos humanum, & beneficum ſe ſemper exhibuit. Deſolatis porrò fuit Refugium, debilibus Subſidium, mæſtis Gaudium, contritis Conſolatio, labentibus Fortitudo, oppreſſis Defenſio, ingenuus utpote Imitator Apoſtoli, omnibus ſcilicet omnia factus, ut omnes Chriſto lucrifaceret. Ex Hibernia in Galliam navigans, primùm Aginnenſibus, deindè Arvernis, tùm Andegavenſibus, Anno uno, & Menſibus tribus, Chriſtianam Veritatem annuncians, innumeros ad Fidei Lumen adduxit. Indè Bellovacum digreſſus dum ſtrenuus Chriſti Athleta Crucis Vexillum explicat, à Chriſtianæ Fidei Oſoribus accuſatus, Valerii Præſidis Juſſu, ob ſa-

croſanctæ

crosanctæ Fidei Confessionem, multoties usque ad Mortem flagellatus fuit; & postmodùm tetro in Carcere detentus, Sergio, Valerii Successori, reservatus est, iterùm cruciandus. Sed à Populo violenter solutus, ibidem diutiùs prædicavit, ubi & Gentem omnem Undâ lustrali immersit, pluresque Ecclesias dedicavit.

Lectio VI.

AMBIANUM tandem Episcopus veniens, Apostolicis ejus Laboribus ità benedixit Dominus, ut intrà quadraginta Dies tria Hominum Millia, Christi Jugo suavi substratos, sacro tinxerit Baptismate. Tantæ Rei Novitate perculsi Longinus, & Sebastianus Præsides, a Treverensi Urbe Ambianum profecti sunt, ubi Firminum comprehensum, & firmissimè Christum confitentem cùm audirent, veriti Tumultum Populi, in Carcere decollandum præcepere. Faustinianus autem Senator, qui Sanctum Episcopum receperat, a quo & ipse cum universa ejus Familia ad Fidei Veritatem fuerat adductus, Noctu Corpus rapiens, in suo Cæmiterio sepelivit. Ac non multò post impius Sebastianus à Bellovacensibus, in occisi Martyris Ultionem, interfectus est. Elapsis autem quatuor ferè Sæculis, Sanctus Salvius, ejusdem Urbis Ambianensis Episcopus, revelato Sibi divinitùs Martyris Sepulchro, eductum indè Corpus in Civitatem, cum Hymnis, & Canticis, solemnique Concursu Populi, Vestimenta sua substernentis in Via, transtulit; atque in Cryptæ Basilicæ, quam ipse sub Invocatione Sanctorum Petri, & Pauli constructerat, honorificè condidit, Sepulchrumque Auro, & Gemmis ornavit.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium, Si quis venit ad me, *ut in Communi unius Martyris.*

Missa, ut in Communi unius Martyris Pontificis, cum dicto Evangelio.

Die

Die XI. Octobris.

IN FESTO

S. CANICI,

Monaſterii Aghavenſis (in Agro Reginæ, & Natione Lageniæ) Fundatoris, primique Abbatis; Civitatis Kilkennienſis, ac totius Oſſorienſis Diæceſis (in eadem Natione) Patroni.

Duplex Majus.

Omnia ut in Communi Confeſſoris non Pontificis, præter hìc poſita.

ORATIO.

DEUS, cujus Munere Beatus Canicus Abbas, ut Chriſtum Filium tuum alacriùs ſequeretur, omnia reliquit: Da cunctis, ſemitam Mandatorum tuorum ingreſſis, ut nec reſpiciant retrò, nec in Via hæreant, ſed ad Te ſine offenſione currentes, Vitam æternam, ad quam vocati ſunt, apprehendant. Per eundem Dominum, &c.

In primo Nocturno Lectiones ut in Feſto S. Furſæi, Die 16 Januarii, Pag. 3.

In II. Nocturno.

Ex S. Adamnano in Vita S. Columbæ Abbatis Hyenſis, aliiſque claris Scriptoribus, & ex variis Breviariis.

LECTIO IV.

CANICUS in Boreali Hibernia, quæ Ultonia dicitur, Patre Lyadeco Poetâ inſigni de Stirpe Delani, Anno Chriſti quingenteſimo vigeſimo ſeptimo, natus eſt. Adoleſcens tredecim duntaxàt Annorum in Britanniam, miſſus,

missus, ibi sub beato Abbate Doco, Viro Sapientiâ, & Sanctitate tunc Temporis præclaro, mirum in sacrarum Literarum, atque Ecclesiasticæ Disciplinæ, Studio Progressum fecit. Monachus factus, susceptum Vitæ Institutum summo Rigore, & usque adeò adamussim, observare consueverat, ut cum aliquando in Cella Scriptioni Operam daret, pulsante Campanâ pro Horis Canonicis in Choro decantandis, ipse Vocalem O, quam formabat, imperfectam in Semicirculo relinquere maluit, donec, divinô persolutô Officiô, rediret. Regressus autem in Cellam, Vocalem nedùm absolutam, verûm & Colore aureo perfulgidiam, stupefactus invenit. Ordinatus Sacerdos, initô cum Fratribus Consiliô, Romam petiit, quo in Itinere incidit in Latrones, qui despoliaverunt eum, & cùm ipsum etiam occidere tentarent, eorum Brachia divina Pietas adeò compescuit, retraxitque, ut tanquàm Statuæ immobiles viderentur. Sed ad Canici Preces, Brachiis eorum pristino Vigori restitutis, nefarii Prædones ad se reversi, eoque Miraculo permoti, Deum laudaverunt, & Sanctum Canicum, ab eodemque Veniam flexis Genibus demissè impetrantes, abierunt.

Lectio V.

In Hiberniam ab Urbe regressus, miroque Fervore accensus, per plures Annos divini Verbi Prædicationi, in Partibus Ultoniæ, totum se præbuit, donec in Britanniam iterùm veniret, ubi in altissimi Montis Radicibus apud Pictos Vitam Eremiticam egit, cælestium Contemplationi mirè deditus, & in Orationibus suis, Religione, Attentione, ac Assiduitate, mirabilis, rigidissimusque, suprâ quàm credi potest, Passionum suarum Domitor, & Corporis Castigator. A suis sæpè sæpiùs rogatus, etiam missis ad ipsum Nunciis, tandemque egrè devictus, ad natale Solum transfretavit, ibique Evangelicum Ministerium reassumpsit. Jàm tertiô autem in Britanniam navigans (& quidem non sine Miraculo, prosperâ scilicet, & blandâ flante Aurâ in Medio horridæ Tempestatis, Navem circumdantis) Sanctum Columbam in Insula Hyensi, sivè Jona, Abbatem insignem, visitavit, ab eoque benignè susceptus, ac in summo Prætio habitus fuit. Postquam haud modicum consumpserat

rat Tempus in religioſa cum beatiſſimo Columba Converſatione, cum quo non minùs ſanctum, quàm ſtrictum Amicitiæ Fædus inierat, & cujus poſtea Vitam, & Res ab eo geſtas, conſcripſit, Hymnoſque in ejus Laudem compoſuit, rediit in Ultoniam, ibique per multa Annorum Curricula ſolitariè vixit. Tendens tandem in Meridiem ſe contulit ad Fluminis Inſulam Roſcreenſem in Momoniæ, & Lageniæ Confiniis, ubi aliquamdiù moratus, quatuor Evangelia in uno Volumine tranſcripſit. In omnibus porrò iſtis Peregrinationibus quamplurima patravit Miracula, ſed nullibi magis laboravit quàm in ſuperiori Oſſoria, Lageniæ Parte, ubi Domicilium fixit.

Lectio VI.

EA in Regione, ampliſſima Latifundia Principis Colmani Mac Feredach Munificentiâ adeptus, multa fundavit Monaſteria, inter quæ præcipuum erat apud Pagum de Aghavoe (qui Campum Bovum ſignificat) ubi ad Finem uſque Vitæ Abbas permanſit. Denique fidelis reverà Servus, & Miniſter Chriſti, in Diebus ſuis Opere potens, & Sermone, ergà Deum pius, ergà Proximum ſollicitus, Principibus charus, Pauperibus largus, Divitibus gratus, Orphanorum Pater, Viduarum Refugium, cæleſtibus Favoribus nobilitatus, depoſitâ humanæ Carnis Sarcinâ, de Exilio hujus Vitæ ad cæleſtem Patriam migravit, egrediente Sæculo Eccleſiæ Sexto, Anno ſcilicet à Virginis Partu quingenteſimo nonageſimo nono, Ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſecundo, Pontificatûs autem Sancti Gregorii Magni decimo. Memorato in Pago Aghavenſi ædificata fuit Eccleſia ſub Sancti Canici Nomine, quæ Anno milleſimo quinquageſimo ſecundo, Cathedralis evaſit Diæceſis, priùs Saigerenſis, nunc verò Oſſorienſis, nuncupatæ. Sed tandem circà Annum milleſimum centeſimum octuageſimum nova extructa fuit dictæ Diæceſis Cathedralis Eccleſia, ſub ejuſdem Sancti Invocatione, in Loco ubi celebris Lageniæ Civitas, ab ea Nomen deſumens, quæ propterea Kil Kennia, ſivè Fanum Canici, uſque in hodiernum Diem appellatur, cujus, ſicut & reliquæ totius Oſſorienſis Diæceſis, ceù glorioſiſſimus Patronus, maximâ Veneratione colitur.

In tertio Nocturno Homil. in Evangel. Dixit Petrus ad Jesum, *ut in dicto Festo S. Fursæi, 16 Januarii, Pag 7.* *Missa*, Os Justi, *ut in Communi Abbatum.* Credo *in Diæcesi Ossorienſi.*

Die XVI. Octobris.

IN FESTO

S. GALLI,

Monaſterii San-Gallenſis (in Helvetia) Fundatoris, primique Abbatis, necnon Helvetiorum Apoſtoli.

Duplex Majus.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis, præter hic poſita.

Hoc Officium deſumptum eſt ex Proprio SS. Eccleſiæ Abbatialis San-Gallenſis, Ordinis S. Benedicti, Diæceſis Conſtantienſis.

[*Qui recitare tenentur nonum Reſponſorium, illud deſumant ex Communi; ad primas autem Veſperas dicere poterunt Reſp.* VI. Pater Sanctus.]

Ad Veſperas.

Antiph. EXIVIT de Terra, *cum reliquis de Laudibus, ac Pſalmis conſuetis.*

Capitulum. Eccli 45.

DILECTUS Deo, & Hominibus, cujus Memoria in Benedictione eſt: Similem illum fecit in Gloria Sanctorum.

HYMNUS.

Hymnus.

JAM fidelis Turba Fratrum
Voce dulci conſonet;
Hymnum dicat, & ſerena
Partiatur Dramata,
Dulci Patri, & beato
Gallo Feſta factitans.
Jamque Cælum, jamque Terra,
Jamque Pontus Laudibus
Plaudat, atque circumquaque
Vox emiſſa Plebibus,
Auctori, Patrique tanti
Tamque clari Luminis.
Hinc exultent Aſtra Cœli,
Lacteuſque Circulus,
Signa tum biſſena ſaltent,
Et Corona nobilis;
Ornatuſque totus ſoli
Conditori cognitus.
Nos iſtius ſemper clara
Conſecuti Munia,
Sanctitati tantæ Cantu
Perſonemus muſico:
Exaudire quod delectet
Cuncti Plaſten Sæculi.
Nunc Redemptor, & Creator,
Auctor verii Gaudii,
Largiatur illam Nobis
Galli ſui Gratiam,
Ut ſecuti tantum Patrem,
Captemus perennia.
Gloria, & Honor Deo
Uſquequaque altiſſimo,
Unà Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito,
Cui Laus eſt, & Poteſtas,
Per æterna Sæcula. *Amen.*

Ad Magnificat, Antiphona.

VEnerabilis Gallus Diaconum, qui omnes Eremi Semitas notas habebat, aggreſſus, quæſivit ab eo, an unquam inveniſſet in Solitudine Locum humanis Habitationibus opportunum? Deſiderio, inquiens, Animi ferventis exæſtuo, cupiens in Solitudine Dies dicere huic Vitæ conceſſos.

Oratio.

DEUS, qui in diverſis Nationum Populis, Beatum Gallum Abbatem, Operum Sanctitate, Fideique Propagatione, mirabilem effeciſti: Da Nobis ejus Interventu eſſe ſemper in Fide ſtabiles, & ad Te, Bonorum omnium Largitorem, feliciter pervenire. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invitatorium: Regem Confeſſorum Dominum * Venite adoremus.

HYMNUS.

VOX clara Laudes insonet
Noctis quieto Tempore,
Galli Patris Encomiis,
Solemniisque dedita.
Procul Tenebræ Criminum
A Mente desunt integra;
Virtutis ipsa Lux micat,
Dum Gallus Christum prædicat.
Fugantur Umbræ Noctium,
Cedit Caligo Mentium,
Cedit Potestas Dæmonum,
Tolluntur Aræ Gentium.
Et jam coluntur Angelis
Deserta culta Lamiis,
Et Cella Galli parvula
Vicina Cœlo jungitur.
Densis Rosæ de Vepribus
Eremo tota prodeunt;
Deserta in Hortos floridos,
Cultore Gallo, transeunt.
Precamur ergò Cælites,
Nostras Vias ut muniant,
Quò post eum securiùs
Vitæ teramus Semitas.
Præsta Pater per Filium,
Præsta per almum Spiritum,
His cum per Ævum triplici
Unus Deus Cognomine.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Fructum suum daturus in Tempore suo Gallus, Puer in Monasterio, tanquàm Lignum secùs Decursus Aquarum, plantatus est.

Ant. Misit ad Tumorem Radices suas, & Disciplinam apprehendit; Sacerdosque Dei unctus, Justitiæ Sacrificium sacrificavit.

Ant. Scuto bonæ Voluntatis coronatus, ad convertendas Gentes processit.

De Libro Ecclesiastici.

LECTIO I. *Cap.* 44.

LAUDEMUS Viros glorioſos, & Parentes noſtros, in Generatione ſua. Multam Gloriam fecit Dominus Magnificentiâ ſuâ à Sæculo. Dominantes in Poteſtatibus ſuis, Homines magni Virtute, & Prudentiâ ſuâ prædiți, nunciantes in Prophetis Dignitatem Prophetarum, & imperantes in præſenti Populo, & Virtute Prudentiæ Populis ſanctiſſima Verba. In Peritia ſua requirentes Modos muſicos, & narrantes Carmina Scripturarum.

turarum. Homines divites in Virtutè, Pulchritudinis Studium habentes, pacificantes in Domibus ſuis.

Reſp. Parentes beati Galli Filium ſuum, primæ Ætatis Flore nitentem, cum Oblatione Domino offerrentes, * In Monaſterio commendaverunt. *Verſ.* Erant enim religioſi, atque nobiles, undè & Filium ſuum * In Monaſterio.

Lectio II.

OMNES iſti in Generationibus Gentis ſuæ Gloriam adepti ſunt, & in Diebus ſuis habentur in Laudibus. Qui de illis nati ſunt, reliquerunt Nomen narrandi Laudes eorum: Et ſunt, quorum non eſt Memoria; perierunt, quaſi qui non fuerint; & nati ſunt, quaſi non nati, & Filii ipſorum cum ipſis. Sed illi Viri Miſericordiæ ſunt, quorum Pietates non defuerunt: Cum Semine eorum permanent Bona.

Reſp. Beatus Gallus, Zelo Pietatis armatus, Fana Dæmoniorum Igni ſuccendit. * Et quæ oblata invenit, demerſit in Lacum. *Verſ.* In Conſpectu omnium arripiens Simulachra, Lapidibus ea in Fruſta confregit. * Et quæ.

Lectio III.

HÆREDITAS ſancta Nepotes eorum, & in Teſtamentis ſtetit Semen eorum, & Filii eorum, propter illos, uſque in æternum manent: Semen eorum, & Gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipſorum in Pace ſepulta ſunt, & Nomen eorum vivit in Generationem. Sapientiam ipſorum narrent Populi, & Laudem eorum nunciet Eccleſia.

Reſp. Athleta Dei Gallus triduo jejunavit, ut Locum, quem ſpiritali Militiæ providebat, * Parſimoniæ Initiis conſecraret. *Verſ.* In Oratione quoque pernoctabat, ut quod divino inchoabat Amore, * Parſimoniæ. Gloria Patri. * Parſimoniæ.

In II. Nocturno.

Ant. CORONAVIT cum Dominus Gloriâ, & Honore, & ſub Pedibus ejus Populos ſubjecit: Reſpexitque in eum Dominus, cùm Peccatores Arcus ſuos in eum intenderent.

Ant. Posita est in Capite ejus Corona de Lapide pretioso, quoniam Deus eum in Benedictionibus Dulcedinis prævenit.

Ant. Innocens ipse Manibus, & mundo Corde, ascendit in Montem Domini, & stat in Loco sancto ejus: Annunciavit inter Gentes Gloriam Domini, & in Populis Mirabilia ejus.

Ex Ven. Beda, Notkero Balbulo, Walfrido Strabone, Adone Viennensi, Arnaldo Wion, Usuardo, Galesino, Hermanno, Ferrario, Baronio, aliisque claris Auctoribus, atque ex variis Breviariis approbatis, præsertim Benedictino.

LECTIO IV.

GALLUS Abbas, nobilibus apud Hibernos Natalibus ortus, à Parentibus, dùm Puer esset, beato Columbano, eadem in Regione, eademque ex Cognatione, prognato, in Discipulum traditus fuit. Adolescentulus, supernâ eum Gratiâ præveniente, Vitam pauperem cùm elegisset, spretis Genitoribus, Prædiisque paternis, in Monasterio Benchorensi, tunc Temporis celeberrimo, sub beatissimo Abbate Congallo, Divi Columbani Magistro, Humilitati, Obedientiæ, perfectæque Subjectioni, semper studuit. Deindè verò, cùm non Morum tantùm, sed & Ingenii Laude, ac sacrarum Scripturarum Scientiâ, Usuque, apprimè floreret, adeò ut proferre posset de Thesauro suo nova, & vetera, prædicandi Evangelii Causâ, laudatum Sanctum Columbanum, Magistrum suum, atque Collegam, cum aliis undecim Monachis, Cænobio egressis, associans, in Britanniam, Anno quingentesimo octogesimo nono, indeque in Galliam trajecit, ubi Sigeberti, Francorum-Austrasiorum, Burgundionumque Regis, Voluntate, Luxoviensem in Burgundia Solitudinem dùm incoleret, ad Christi Fidem complures, multos etiam ad Monasticæ Vitæ Instituta, promovit; quòcunque enim ierat, Solis instàr effulsit, Ecclesiam lætificans, Christianam Religionem, Sanctimoniam, Monachismum, propagans, seraperque Virtutibus, & Miraculis fulgens. Sed cùm Theodorici, qui Sigeberto, Avo suo, in Burgundiæ Throno, successerat, Concubinatum redarguere non desisteret

ret Columbanus, Luxovienſis illius Monaſterii Abbas præclarus, Brunichildis Reginæ, Theodorici Aviæ, Inſtinctu, Luxovio pulſus, acceptâ à Theodeberto, Theodorici Fratre, Francorum-Auſtraſiorum Rege, Poteſtate, in Helvetia, quæ Alemanniæ Pars eſt, ad Lacum Turicinum primò, deindè verò apud Brigantium Oppidum, Rheno Flumini propinquum, reconciliatô Sanctæ Aureliæ Templô, conſedit.

Reſp. Beatus Gallus, cùm orandi Gratiâ, inter condenſa Veprium Fruteta ambularet, corruens in Terram, ait: * Hæc Requies mea in Sæculum Sæculi. *Verſ.* Hoc videns Diaconus, accurrit, ut ſublevaret proſtratum, Vir autem Dei præſcius futurorum: Sine me, ait. * Hæc Requies.

Lectio V.

VErùm quoniam Gallus Idolatriæ Scelus ubique convellebat, Fana, ac Simulacra diſſipabat, Gentilium in ſe Odia concitavit. Quibus etiam cedendum ratus Columbanus, maximè quia Theodoricus ei infenſus, occiſo Theodeberto, tàm in Auſtraſia, quàm in Burgundia, regnabat, in Italiam ipſe ad Agilulphum, Longobardorum Regem, profectus, Gallum Febribus detentum, unà cum Sancto Magno, ſeù Magnoaldo, & Theodoro, Monachis Hibernis, in Alemannia reliquit. Gallus verò ſexageſimum quintum Ætatis ſuæ Annum agens, mox ut convaluit, Eremum cum jàm dictis Diſcipulis ingreſſus, triduano eam Jejunio, Orationibus, & Lacrymis, conſecravit, in eaque conſtruxit Cænobium, ubi quadringentis Monachis præfuit. Circà quod Cænobium, & celebrem Eccleſiam, ipſi beato Gallo poſtmodùm dicatam, ædificata eſt Temporis progreſſu Civitas Sancti Galli, ſivè San-Gallenſis, ex ipſius Nomine uſque in hodiernum Diem nuncupata, Abbaſque dicti Monaſterii, nunc ſub Regula Sancti Benedicti, inter Sacri Romani Imperii Principes annumeratur. Eo autem in Cænobio Fratres regularibus Diſciplinis, & divinarum Scripturarum Scientiâ, imbuit Gallus, Genteſque circumpoſitas Jeſu Chriſti Fidem ſectari docuit. Corpus ſuum Inedia, & Frigore, Cilicio, & Catena, acriter caſtigabat, idque ità ſecretò, ut de ærea ejus Catena, Ciliciove, quibus ad hujuſmodi Exercitia utebatur, nec

Diſcipuli

Discipuli ipsius, dùm viveret, rescirent. Fridiburgam Alemanniæ Ducis Filiam, quæ Sigeberto, memorati Theodorici Filio, Francorum-Austrasiorum, Burgundionumque tunc Regi, desponsata fuerat, à sævissimo Dæmonio cùm liberasset, omnia Principis opulentissima Dona comminuit, & apud Arbonam in Pauperes erogavit. Episcopatumque Constantiensem, ipsi tunc oblatum, sicut & posteà Abbatiam Luxoviensem, suscipere recusavit.

Resp. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, Stolam Gloriæ induit eum : * Et ad Portas Paradisi coronavit eum. *Vers.* Induit eum Dominus Loricam Fidei, & ornavit eum. * Et ad Portas.

Lectio VI.

EIDEM Fridiburgæ Auctor fuit, ut Matrimonium cum dicto Sigeberto Rege jam jam initura, ac nuptiali Veste induta, eâ se exuens, Monachale Velum, in Cænobio Sancti Petri Metensis Civitatis in Lotharingia, præsente, & mirabiliter consentiente, ipso Sigeberto, reciperet. Columbanum in Italia Vitæ Munere sanctissimè perfunctum per Visionem in Alemannia prægnovit. Denique postquàm strenuus Christi Athleta per triginta Annorum Seriem multos Alemanniæ Populos, in Helvetia præsertim, ab Idolorum Cultura avocasset (quâ de Causâ Helvetiorum Apostolus appellari solet) ipsoque Die Sancti Michaelis Archangeli apud Arbonam, post Missarum Solemnia, Evangelium prædicasset, Febri in jam dicto Oppido correptus, postquàm eâ per Dies quatuordecim laborasset, Die decima septima Kalendarum Novembrium, expletis nonaginta quinque Ætatis suæ Annis, in Senectute bona, hujus Vitæ liberatus Ergastulo, inter Discipulorum Manus Animam, Meritis plenum, efflavit, Anno Incarnationis Dominicæ sexcentesimo quadragesimo quinto, Pontificatûs autem Theodori Papæ quarto. Sed cùm eo in Loco humari nullo Modo potuisset, indomitorum tandem Equorum, in neutram Partem declinantium, Ductu, ardentibus continuò ad Feretrum Cereis, recto Itinere in sacram Eremum perlatus, ibi in Oratorio suo, Joannis Episcopi Constantiensis, sui olim perdilecti Discipuli, Fratrumque, Manibus, non sine Gemitibus, & Lacry-

mis

mis ſepultus, Miraculis claruit. Poſt quadraginta autem Annos Sacrophagus, in quo Exuviæ ejus jacebant, a Latronibus, Theſaurum exiſtimantibus, è Terra effoſſus fuit, ſed poſteà, nefariis illis Viris Timore perculſis, ac in Fugam converſis, Epiſcopus Conſtantienſis, Joannis Succeſſor, eaſdem ſacras Reliquias in pretiosâ Arcâ, Loco patenti poſitâ, ſummâ Religione condidit.

Reſp. Pater Sanctus, cùm Infirmitate gravi per Dies quatuordecim laboraſſet, in Senectute bona hujus Vitæ liberatus Ergaſtulo, * Animam, Meritis plenam felicibus, Bonis reddidit inhæſuram perennibus. *Verſ.* Expletis nonaginta quinque Annis ſuæ Ætatis. * Animam Gloria Patri. * Animam.

In III. Nocturno.

Ant. SION audivit, & lætata eſt, confuſi ſunt, qui adorabant Sculptilia, & qui gloriabantur in Simulacris ſuis.

Ant. Recordatus Dominus Miſericordiæ ſuæ, revelavit in Conſpectu Gentium Juſtitiam ſuam.

Ant. Sancte Galle, tuâ Nos Protectione cuſtodi, Signaculo Sanctæ Crucis munitos ab Hoſte.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 10,

IN illo Tempore, dixit Jeſus Diſcipulis ſuis: Cùm perſequentur Vos in Civitate iſta, fugite in aliam. Et reliqua.

Homilia Sancti Athanaſii Epiſcopi.

In Apolog. de Fuga ſua, antè Medium.

IN Lege præceptum erat, ut conſtituerentur Civitates Refugiorum, ut qui quomodocunque ad Necem quærerentur, ſervari poſſent. In Conſummatione porrò Sæculorum, cùm adveniſſet illud ipſum Verbum Patris, quod Moyſi anteà locutum fuerat, rursùs hoc Præceptum dedit: Cùm Vos, inquiens, perſecuti fuerint in Civitate iſta, fugite in aliam. Paulòque poſt ſubjicit: Cùm videritis Abominationem Deſolationis, quæ dicta eſt per Danielem Prophetam, ſtantem in Loco ſancto, qui legit intelligat: Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad Montes; & qui in Tecto eſt, ne deſcendat tollere,

lere aliquid de Domo ſua; & qui in Agro eſt, non revertatur tollere Tunicam ſuam.

Reſp. Iſte Homo perfecit omnia, quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in Requiem meam, * Quia Te vidi juſtum coram Me ex omnibus Gentibus. *Verſ.* Iſte eſt, qui contempſit Vitam Mundi, & pervenit ad cæleſtia Regna. * Quia Te vidi.

Lectio VIII.

HÆC cùm ſcirent Sancti, ejuſmodi tenuerunt ſuæ Converſationis Inſtitutum. Quæ enim nunc præcepit Dominus, eadem quoque antè ſuum in Carne Adventum locutus eſt Sanctis; & hoc Inſtitutum Homines ad Perfectionem ducit. Nàm quod Deus juſſerit, id omninò faciendum eſt. Ideoque & ipſum Verbum propter Nos Homo factum, non indignum putavit, cùm quæreretur, quemadmodùm & Nos, abſcondere ſe; & cùm Perſecutionem pateretur, fugere, & Inſidias declinare. Cùm autem à ſe definitum Tempus ipſe adduxiſſet, in quo corporaliter pro omnibus pati volebat, ultrò ſeipſum tradidit Inſidiantibus.

Reſp. Deſiderium Animæ ejus tribuiſti ei Domine * Et Voluntate Labiorum ejus non fraudaſti eum. *Verſ.* Vitam petiit à Te, & tribuiſti ei Domine * Et Voluntate. Gloria * Et Voluntate.

Lectio IX.

AT verò Sancti Homines cùm hanc quoque Formam à Salvatore didiciſſent (ab ipſo enim, & anteà, & ſemper, omnes docebantur) adversùm Perſecutores ut legitimè certarent, fugiebant, & ab illis quæſiti, ſe abſcondebant. Cùm enim præſtituti ſibi à divina Providentia Temporis Finem ignorarent, nolebant Inſidiantibus ſe temerè tradere; ſed contrà, cùm ſcirent quod ſcriptum eſt, in Manibus Dei eſſe Hominum Sortes, & Dominum mortificare, & vivificare; potiùs in Finem uſque perſeverabant, circumeuntes, ut ait Apoſtolus, in Melotis, & Pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, in Solitudinibus errantes, in Speluncis, & Cavernis Terræ latentes, quoad vel definitum Mortis Tempus veniret, vel qui Tempus ipſum definierat Deus, cum eis loqueretur, & Inſidiantes cohiberet; aut certè Perſecutoribus eos traderet, utcunque illi placuiſſet.

Te

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas.

Ant. EXIVIT de Terra, & de Cognatione ſua, & venit in Terram, quam ei Deus monſtravit. *Pſalmi conſueti.*

Ant. Directus divinitùs in Pœnitentiam Gentis, tulit Abominationem Impietatis, & Idola deſtruxit.

Ant. De Terra deſerta, invia, & ſterili, vocatus in Cælum, Virtutem Dei videt, & Gloriam.

Ant. Memoria ejus in Benedictionem Dulcedinis, Alleluia.

Ant. Suſcepit eum Dominus, & collocavit eum cum Principibus Populi ſui.

Capitulum, Dilectus Deo, *ut ſuprà in Veſperis.*

HYMNUS.

JAM Luce ſumma conſonent
Sacri Triumphi Dramata:
Nil vile, nihil ſordidum
Admittit hæc Solemnitas.
Hìc Gallus alta cælicæ
Perfectionis Culmina
Prendens, gerebat Angeli
Vitam mortali Corpore.
Epiſcopatûs Infulas,
Abbatiæque Ferulas,
Superba Mundi Solia,
Terrena cuncta reſpuit.
Cœli Quies, Mundi Fuga,
Junctæ Preces Jejunio,
Carniſque Caſtigatio,
Ei Voluptas unica.
Has Gallus ipſe Plantulas
Virtutis Arvo condidit,
Virtutis & Cultoribus
Piè fovendus tradidit.
Hinc Dæmones mortalibus
Pellit Locis, & Beſtias,
Idola ſternit, & Dei
Infert ubique Gloriam.
Laus Trinitati ſimplici,
Laus Unitati triplici,
Patri, Patriſque Filio,
Spiraminique compari. *Amen.*

Ad Benedictus, Antiphona.

SUPERPOSITO Equis indomitis Feretro, & Frænis de Capitibus eorum ablatis, recto Itinere pervenerunt ad Cellam Viri Dei.

Ad

Ad Tertiam, Capitulum, Dilectus Deo, *ut ſuprà in Veſperis.*

Ad Sextam, Capitulum. Eccli. 45.

MAGNIFICAVIT eum in Timore Inimicorum, & in Verbis ſuis Monſtra placavit. Glorificavit illum in Conſpectu Regum, & juſſit illi coram Populo ſuo, & oſtendit illi Gloriam ſuam.

Ad Nonam, Capitulum. Ibidem.

IN Fide, & Lenitate ipſius Sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni Carne. Et dedit illi coràm Præcepta, & Legem Vitæ, & Diſciplinæ.

Ad Magnificat, Antiphona.

APERIENS Joannes Sacrophagum, amariores cum hac Voce Lacrymas dedit: Heû, heû, Pater amate! Heû Doctor egregie! Cur me de Domo Patris edoctum, quaſi Orphanum dereliquiſti?

Miſſa, Os Juſti, *ut in Communi Abbatum, præter Evangelium, quod invenire eſt in Feſto S. Athanaſii, Die* 2 *Maii.*

Die

Die XXII. Octobris.

IN FESTO

S. DONATI,

Episcopi Fesulani (in Etruria, seù Thuscia) & Confessoris.

Duplex Majus.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter hìc posita.

ORATIO.

DEUS tuorum Splendor Sacerdotum, qui hunc Diem Beati Donati Confessoris tui, atque Pontificis, Natalitio consecrasti: Concede propitius, ut cujus annuâ Solemnitate lætamur, ejus Virtutum proficiamus Exemplo. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno Lectiones: Fidelis Sermo, *ut in Communi Conf. Pontif.*

In II. Nocturno.

Ex Proprio SS. Diœcesis Fesulanæ, ac probatis Auctoribus.

LECTIO IV.

DONATUS, Generis, & Patriæ suæ, Decus, nobilis scilicet, & orthodoxæ Prosapiæ, in Scotia Veteri (seù Hibernia) Germen, sed Morum Integritate, atque Virtutum Splendore, Stirpis Generositatem longè superans, ab Incunabilis Christianæ Militiæ Sacramento obstrictus, egregiam Indolem veræ Sapientiæ Institutis aluit. Plurimæ Spei factus Adolescens, cæpit Rerum cælestium æstuare Desiderio, & uberiorem in Dies Frugem boni Operis reddere, atque Jesu Christi, ac Sanctorum ejus, Amore vehementiùs ardere. Grandior po-

ſteà factus, & maturior, poſthabitis Parentum domeſticis Curis, Patriæque Blandimenta peroſus, ut religioſæ Pietati, cujus affectabat Incrementum, etiam Incommoda, & Corporis Vexationes, adjungeret, fieretque, quàm citiſſimè poterat, Diſcipulorum Chriſti Emulator, nedùm ſpontè, ac devotè, ſed mirabili cum Fervoris Exemplo, ad diverſas Orbis Provincias, ſimul cum Andrea, individuo ſuo Comite, (poſteà Archidiacono Feſulano) Iter aggreditur, eo præcipuè Studio, ut, plurimis peragratis, atque inviſis, Eccleſiis, Romam contenderet. Ibi, ad Limina Apoſtolorum Petri & Pauli, Devotionis ſuæ Votis perſolutis, Deum enixè rogabat, ut Peregrinationem, quam ejus Auſpice Patrocinio inceperat, aliquo tandem in Loco, quo ſacro vacaret Miniſterio, feliciter compleret.

Lectio V.

ANNO igitur Incarnationis Dominicæ octingenteſimo ſecundo, Carolo Magno Romanorum Imperatore, à Leone Tertio Summo Pontifice Benedictione in Urbe obtentâ, dùm ſingula Etruriæ Templa perluſtrat, tunc potiſſimùm Feſulas propè Florentiam adiit, cùm Eccleſia illa diù Paſtoris ſui Orbitatem ſuſtinens, Virum tanto Oneri idoneum ſuſpirabat. Vix Donatus Cathedralem Eccleſiam Feſulanam pervadit, cùm undique, nullius Adminiculo, Turribus ſacro Ære ſonantibus, & cunctis protinùs Lampadibus ignotâ Luce ſplendentibus, obvium Clerus, & Plebs gratulabunda ſuſcipit, cogitque, etiam invitum, Regiminis Clavum ſubire. Ejus invictum Laboribus Animum ità Paſtoralis Solicitudo cæpit urgere, ut Hoſpitalitati, ac piis Officiis, admodùm frequens, Familiam Sibi commiſſam, erudito ſæpiùs Eloquio, à Vitiis deterruerit, eamque Eleemoſynarum largâ Erogatione ab Inopia vindicarit. Illudque Pietati ſuæ acceſſit, quod dùm Chriſmati conferendo intentus, à Muliere interpellatur, ut raptum Sibi à Lupi Ingluvie natum ſervaret, ante illius Pedes, Ferâ remigrante, incolumis ſiſtitur.

Lectio VI.

ECcleſiaſticam Ditionem tàm acerrimè propugnabat, ut Beatum Præſulem Moleſtias conantem redimere, contentioſus quidam Vir, Nomine Primas, Probris, tor-

toque

toque Ore deridens (Contumeliis in ſe miſerè retortis) præpoſteram Faciem cum Manibus Linguaque contractis uſque ad Pœnitentiam defleret. Sicque indiès Opere ſanctior, demptâ aliquandò reſtitutâque Monti Viriditate, nec precrebeſcente Pluviâ ſub Dio reſperſus, etiam Sibi, Sanctæ Virginis Brigidæ Oleo delibutos Pedes, vegetiores expertus eſt. Denique Vir Dei omnium Virtutum Genere decoratus, ab Humilitate verò, & Patientia, ſummoperè commendatus, poſtquàm, per longam triginta & octo Annorum Seriem, Feſulanum Gregem Gratiâ ſingulari paviſſet, Scriptis egregiis edocuiſſet, erudiviſſet, informaſſet, & omnibus congrua ſanctioris Vitæ Documenta præbuiſſet, poſtquàm, tot Dotibus, ac Meritis fulgens, atque Vigiliis, & Erumnis confectus, in Dei Eccleſia cum Apoſtolo bonum Certamen certaſſet, Curſum conſummaſſet, Fidem ſervaſſet, repoſitam Sibi in Cœlis Coronam recepturus, in Senectute bona, inter Adſtantium Lacrymas, piiſſimè obiit undecimo Kalendas Novembris, Anno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo, Pontificatûs autem Gregorii Papæ Quarti decimo quarto, variis Sanctitatis Titulis decoratus, pluribus etiam poſt Mortem Miraculis clarus.

In tertio Nocturno Homil. in Evang. Vigilate, *ut in Communi Conf. Pontif.*

Miſſa, Sacerdotes, *ut in eodem Communi.*

Die XXIX. Octobris.

IN FESTO

S. COLMANI DUACI,

Primi Episcopi Duacensis (in Agro Galvi-ensi Conaciæ) & Confessoris, ejusdemque Diæcesis Patroni.

Duplex Majus.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, quia Officium proprium nullibi inveniri poterat.

LICEAT nihilominùs diversis Characteribus hìc subnectere Orationem, & Lectiones proprias secundi Nocturni, propter Rationes superiùs adductas in Festo S. Celsi, ad Diem 7 Aprilis, Pag. 47.

ORATIO.

DEUS, qui beatum Confessorum tuum Colmanum Duacum ad Pontificalem Dignitatem sublimasti; quique illam Humilitati postponere docuisti: Concede propitius, ut ejus Exemplo caduca Mundi despicere, & ad promissa humilibus Præmia pervenire, feliciter mereamur. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno Lectiones, Fidelis Sermo, *ut in Communi Confessoris Pontificis.*

In II. Nocturno.

Ex variis Menologiis apud Colganum in Actis Sanctorum Hiberniæ, aliisque invictæ Fidei Monumentis.

LECTIO

Lectio IV.

COLMANUS, Duaci Filius, indèque Patrio Agnomine Duacus passìm nuncupatus, ex nobilissimo, regioque, Hy-Fyachrorum Genere, in Conacia olim præpotente, & claro, utpote ex quo duo universæ Hiberniæ Monarchæ, haud pauci Conaciæ Reges, permultique Viri, Sanctitatis Laude conspicui, prodiere. Hos inter singularis Prærogativæ Titulo Primas tenet Sanctus hic mirificus, qui ab iueunte Ætate Christi Castra secutus, Clericali Vitæ Nomen dedit. Deindè verò majoris Perfectionis cupidus, in Solitudinem secessit, ubi, ardentissimo Mentis Affectu, supernarum Virtutum, quibus illum Spiritus Sancti ditaverat Gratia, Exercitationibus cæpit se totum consecrare. Carnem Jejuniis, Vigiliis, aliisque Afflictationum Generibus, macerabat; Mentem divinis Contemplationibus nutriebat; nihilque nisi Cælum, vel quæ ad Cælum Viam parant, cogitare videbatur. Cor ejus, veluti ardentissimus Fornax, divini Amoris Flammis continuò exuberabat. Labia non Diebus, neque Noctibus, à Colloquiis divinis, & Oratione, vacabant, nisi quando Mens ejus, Deo plena, extrà se rapta, tota ferebatur in Cælestia. Aliquandò autem, mirabili divinæ Sapientiæ Dispositione, supernis Deliciis, quibus aliàs à Deo abundantissimè cumulabatur, destitutus, propterèaque tristior effectus, ab Amico suo spirituali Sancto Columbâ, in Insula Hyensi Scotiæ Abbate, Sanctimoniâ tunc Temporis celeberrimo, Solamen per Literas, tanto Viro dignas, recipere meruit.

Lectio V.

HARUM porrò Virtutum Famâ indiès magis magisque crescente, tandem ad publicam rapitur Curam Animarum, & Episcopus invitus creatur. Quo Munere licèt magno cum Labore, summo cum Zelo, sanctissimè functus, atque omnium Judicio dignissimus, si quis alius, fuerit, ipse nihilominùs, præ christianâ Mentis Demissione, se indignum prorsùs existimabat. Animusque abstractioris Vitæ, ac cælestium Contemplationum, Studiis assuetus, non potuit Pontificalis Regiminis Solicitudines, aut humanarum Laudum, quæ Virtutum sunt Comites, diù perferre. Abdicato igitur Episcopali Onere pariter, & Honore, priscæ Vitæ Rationem repetens, ad Solitudinem denuò se conferre, Locumque ab omni humano Consortio, Mundique

Strepitu, remotum petere ſtatuit. Acceſſit propterea ad quandam vaſtam, præruptam, denſiſſimamque in Auſtralis Conaciæ Finibus Sylvam, in qua haud procul a ſaxoſo, aſperoque Monte (cui Nomen Boirean*) Domicilium Eremiticum fixit, ubi in cæleſtis planè Vitæ continuis Exercitationibus integrum tranſegit Septennium, Neminem interea Hominum ad Conſortium ſuum, vel Colloquia, admittens, præter unicum Clericum Diſcipulum, cujus cùm in divinis Officiis celebrandis, tùm in ſylveſtribus Oleribus, Herbiſque (quibus duntaxàt veſcebatur, Aquâ etiam contentus) præparandis, Miniſterio utebatur.*

LECTIO VI.

IPSIUS autem Sanctitatis Odore ex hiſce Latebris mirum in Modum circumquàque ſe diffundente, pluresque ad Solitudinem illam, etiam ex Aula regia, alliciente, cùm pius, & benignus, Conaciæ Rex, Guarius, videret à Viro Sancto, Sibi & Sanguine, & poſteà Conſuetudine religiosâ, conjunctiſſimo, ingentia, & inſueta, patrari Miracula, ampliſſima ei Munera obtulit, & quæcunque vellet Prædia. Verùm Mundi Contemptor eximius, mirificuſque Paupertatis Evangelicæ Cultor, & Cuſtos, quodcunque ex liberaliter oblatis acceptare conſtantiſſimè renuit, præter divinitùs ſibi deſignatum Locum, extruendo Oratorio ad Laudem, & Honorem divini Nominis idoneum, ab Eremo non valdè diſtantem, ubi per Chriſti Famulum Eccleſia cum Aſcetorio extructa eſt. Denique Vir Dei, Meritis plenus, & Miraculorum Famâ illuſtris, totuſque Amore Chriſti, & æternæ Gloriæ Deſiderio, liqueſcens, ad eam, quam tantoperè ſitiebat, Beatitudinem, feliciter tranſivit, circà Annum Chriſti ſexcenteſimum trigeſimum, Honorio Primo Summo Pontifice. Poſt ejus Obitum præfata Eccleſia cum Aſcetorio regiis Impenſis erecta eſt in Epiſcopalem Sedem, quæ ipſius Agnomine Duacenſis *nuncupatur, quæque eò Dignitatis, ac Celebritatis excrevit, ut commune, tutiſſimumque Patriæ Aſylum haberetur, & eſſet. Univerſa etiam Diœceſis Duacenſis, ac Regiones eidem conterminæ, ſingulari lætantur Colmani Duaci Protectione, atque innumeris à Deo Beneficiis ejus Patrocinio indiès augentur.*

In tertio Nocturno Homil. in Evang. Homo peregrè proficiſcens, *ut in Communi Confeſſoris Pontificis.*

Miſſa,

Miſſa, Statuit, *ut in eodem Communi.* Credo *in Diœceſi Duacenſi.*

Die III. Novembris.

IN FESTO

S. MALACHIÆ,

Epiſcopi Armacani, & Confeſſoris, per Univerſam Hiberniam Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legati.

Duplex Majus.

Omnia de Cõmuni Confeſſoris Pontificis, præter hìc poſita.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Malachiam Confeſſorem tuum, atque Pontificem, Sanctiſſimo Abbati Bernardo veræ Charitatis Fædere dulciter ſociaſti : Concede propitius, ut & pravorum omnium Conſenſus noxios cautè vitemus, & cæleſtis Militiæ ſacras Amicitias ſemper optemus. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno Lectiones ut in Feſto S. Cataldi, Die 8 Martii, Pag. 19.

In II. Nocturno.

Ex B. Bernardo in Vita hujus Sancti, & ex Proprio SS. Canonicorum Regularium Lateranenſium, variiſque Breviariis approbatis, præſertim Ordinis Ciſtercienſis.

LECTIO IV.

MALACHIAS, Natione Hibernus, claris ortus Natalibus, a Puero Meditationibus, Orationibus, & Jejuniis aſſuetus, in ipſa Adoleſcentia Seipſum Beato I-

mario,

mario, ſolitariam Vitam propè Armacam in Ultonia agenti, regendum, & inſtituendum, commiſit. Ejus Exemplum ſecuti Adoleſcentes non pauci, Se illi Socios ſancti Propoſiti adjunxerunt; ſed & ſanctus Celſus Armacanus Epiſcopus, ipſius Sanctitatis Famâ excitatus, necdùm vigeſimum quintum Ætatis Annum attingentem, licèt invitum, Preſbyterum ordinavit, ſuaſque Vices illi committere non dubitavit. Zelo divini Cultûs accenſus, Malchum, Liſmorenſem in Momonia Epiſcocum, adiit, ut de Ritibus Eccleſiæ pleniùs inſtrueretur: Ubi Cormaco Momonienſium Regi, qui, Sceptrô depoſitô, Vitam ſolitariam elegerat, traditur in Magiſtrum. Mortua eſt interim ejus Soror, cujus Animam, Purgatorii Pœnis laborantem, Precibus ſuis liberavit. A Sanctis Celſo, & Imario, per Literas in Ultoniam revocatus, inſigne Monaſterium Benchorenſe, ab irrumpentibus Danis paganicâ Rabie deſtructum, reſtauravit, & illi aliquamdiù in omni Sanctitate, & Juſtitia, præfuit. Annum agens trigeſimum, Connorenſis Epiſcopus à Sancto Celſo ordinatus, efferos Civium Mores ſuſtinendo, arguendo, obſecrando, in omni Patientia, & Doctrina, in melius commutavit. Sed Civitate ab Hoſtibus vaſtatâ, extructô alio Cœnobiô, in illud cum ſuis Fratribus ſe colligens, miris Humilitatis, & Sanctitatis, Exemplis refulſit.

LECTIO V.

INtereà defuncto Sancto Celſo, Antiſtite Armacano, Regibus, Principibus, omnibuſque Epiſcopis, compellentibus, illius Eccleſiæ Cura ipſi demandatur; quam multis Laboribus, & Vitæ Periculis, ab Invaſoribus, qui eam Armis, & Potentiâ, multos Annos detinuerant, vindicatam, ſuæque Libertati reſtitutam, in melius reformavit. His peractis, Dunum divertens, ac in ea Civitate conſtitutâ ſibi Sede, relictâ Sancto Gelaſio, Viro inſigni, Eccleſiâ Armacanâ, Familiam Clericorum Regularium de Fratribus ſuis inſtituit, & Rigorem Diſciplinæ Monaſticæ cum Eccleſiaſticis Miniſteriis temperavit. Romam, ut Pallium pro Sede Armacana impetraret, ire decernens, eo in Itinere divertit ad Beatum Bernardum, Abbatem Clarevallis, & nonnullos ex ſuis Sociis, Monaſticis Inſtitutis imbuendos. apud eum reliquit, per quos poſteà Ordo Monaſticus Ciſtercienſis

in

in Hibernia, ipſo ſatagente, fuit propagatus. Eporediam, Saleſſiorum Urbem in Subalpinis, pertranſiens, Hoſpitis ſui parvulum Filium, Infirmitate decumbentem, & mox moriturum, continuò ſanavit. Ab Innocentio Papa ſecundo benignè ſuſceptus eſt; neque tamen in Clarævallenſi Monaſterio vivendi Facultatem, quam ab eo petiit, impetrat, ſed per univerſam Hiberniam Legatus ab eodem Summo Pontifice conſtituitur. In Patriam rediens per Scotiam, à Davide Rege, cujus unicus Filius, Nomine Henricus, infirmabatur ad Mortem, exoratus ut illum liberaret, Aquæ, quam benedixerat, Aſperſione, Sanitati reſtituit.

Lectio VI.

IN Hiberniam reverſus, multis Conciliis congregatis, plurima ſtatuit ad Eccleſiarum Regimen, & Morum Reformationem, quæ omnes, uti de Cœlo miſſa, recipiebant. Ipſe porrò factus Forma Gregis, ſine Proprio vixit. Domum propriam non habuit, ſed Eccleſias inceſſantèr circuivit, Evangelio ſerviens, & de Evangelio vivens. Interdùm ſi quieſcere oporteret, in ſanctis manebat Locis, communi Mensâ contentus, & Vitâ. Sanctitate, & Virtutibus mirabilis, Mutis Loquelam, Claudis Inceſſum, Cæcis Viſum, Ægrotantibus Salutem, reddebat, ac etiam Mortuos ad Vitam revocabat. Prophetiæ Spiritu inſignis, Mortis ſuæ Locum, & Diem, ipſe prædixit. Qui dùm ſecundam Profectionem ad Romanum Pontificem, tunc Eugenium Tertium, in Galliarum Partibus verſantem, pro Pallio nondùm miſſo incepiſſet, ad prælibatum Clarævallenſe Monaſterium iterùm acceſſit, ubi, poſt peractum Miſſæ Sacrificium in Feſtivitate Sancti Lucæ Evangeliſtæ, Febribus correptus, ungitur Oleo ſacro, & ſumptô ſacroſanctô Viaticô, omnibus Senſibus ſui Corporis incolumis, inter Sancti Bernardi Manus. Viventi ſimilior moritur, quarto Nonas Novembris, Anno Salutis milleſimo centeſimo quadrageſimo octavo, Ætatis ſuæ quinquageſimo quarto. Ejus Corpus, etiam poſt Mortem Miraculis clareſcens, in Oratorio Beatæ Mariæ idem Divus Bernardus Sepulturæ tradidit, ipſiuſque Vitam diffusè, ac mellifluè, conſcripſit, Beatiſſimum Præſulem innumeris planè Laudibus celebrans.

In tertio Nocturno Homil. in Evangel. Homo peregrè proficiſcens, *ut in dicto Feſto S. Cataldi, Pag.* 24.

Miſſa, Statuit, *ut in Communi Confeſſoris Pontificis.* Credo *in Provincia Armacana.*

Die XII. Novembris.

IN FESTO

S. LIVINI,

Dublinienſium Epiſcopi, & Martyris, Gandavenſium (in Belgio) Patroni.

Duplex Majus.

Omnia ut in Communi unius Martyris, præter hìc poſita.

ORATIO.

DEUS, qui Beato Livino Martyri tuo, atque Pontifici, tribuiſti, ut perſequentem Mundum ſuperaret, & de Inimicis Crucis Chriſti mirabiliter triumpharet: Da, ut ejus Interceſſione, & Exemplo, ſemper Chriſti Mortificationem in Corpore, & Tui Amorem in Corde geramus. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno Lectiones ut in Feſto S. Rumoldi, Die 1, *Julii, Pag.* 63.

In II. Nocturno.

Ex S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, & Martyre, Nicolao Serrario, Surio, Mabillonio, ac ex Proprio SS. Diæceſis Gandavenſis.

LECTIO IV.

LIVINUS Hibernus, Patre Theagamo è Senatorio Ordine, Matre verò Angelmia Hibernorum Regis Filiâ, progenitus, à Suſceptore ſuo è Sacro Fonte Baptiſmatis,

tismatis, Livinius dictus fuit ex Nomine Fratris Genetricis suæ, in Hibernia Episcopi, qui apud Humbranos in Anglia pro Fide Christiana Martyrii Palmam adeptus est. Adhuc Puerulus, non modò suprà Ætatem eximiâ Pietate conspicuus, verùm etiam Miraculis clarus, effulsit. Adolescens factus, egregio Dei Sacerdoti Benigno sacris Literis instituendum se præbuit, sub quo quidem mirificè proficiebat, donec, expaveſcens ne humano Favore elatus foret, susceptâ ab ipso Benedictione Solitudinem petens cum tribus Sociis, Foillano nempè, Helia, & Kiliano, per Arbusta, & Fructeta latitabat, Herbis, sylvestribusque Pomis, Aquarumque turbidarum parvâ Libatione (ut Mos illi erat) contentus. Tandem Angelo monente, atque ducente, Mare siccis Pedibus cum memoratis suis Sociis sulcans, ad Sanctum pergit Auguſtinum Anglorum Apostolum, à quo benignè exceptus, ac in Ecclesiasticis Disciplinis uberiùs instructus, Sacro Presbyteratûs Ordine decoratur, demùmque ad suos reversus, Dublinienſi Ecclesiæ, in Locum defuncti Antistitis Melanchi, Patrui sui, præficitur. Quod Munus tametsi, Rege, Populoq e compellente, susceperit, & magno cum Fructu Annos aliquot administrarit, posteà tamen maluit Infidelibus ad Christum convertendis Operam dare (ad quam Rem mirâ Spiritûs Sancti Gratiâ præditus erat) quàm uni tantùm Diœceſi quietiùs, & minori cum Labore, præesse. Itàque relicto Dublinii Vice suâ Sylvano Archidiacono, magnæ Sanctitatis, & Virtutis Viro, ipse Evangelii propagandi Causâ, tribus cum Discipulis recensitis, Oceanum trajecit.

Lectio V.

DEVENIENS in Flandriam, & ingressus Gandavense Cœnobium, à Beato Amando tunc recèns extructum, humaniter à Floreberto Abbate, Fratribusque, susceptus est. Ibi cùm Beatum Bavonem, triennio jam defunctum, magnis coruscantem Miraculis inveniret, Memoriam Viri celeberrimam, & præsentia Sanctitatis Testimonia, admiratus, triginta Dies continuos suprà ejus Sepulchrum Missarum Solemnia celebravit, ipsi multis Precibus & sui, & Monasterii, Curam commendans. Posteà autem indè Prædicationis Causâ profectus, varia Flandriæ Loca peragravit, & subindè in

Brabantiam

Brabantiam excurrit, innumeros ad Chriſti Fidem Verbo, Exemplo, crebriſque adjunctis Miraculis, convertens. Sed Virtutem invida ſua Umbra ſtatim ſequitur. Enimverò Impii, quibus Chriſtus, & Pietas omnis exoſa erat, animadvertentes Sanctum Epiſcopum tantam Hominum Multitudinem, Erroribus priſtinis, Vitiiſque ſpretis, ad novam ibi Religionem adducere, atque adeò ſui ipſorum pravis Cupiditatibus non parùm obſiſtere, miris Modis eum perſequebantur, nec omninò deſiſtebant donec Linguam ejus extractam Canibus devorandam projicerent (quæ tamen illi mox fuit Miraculo reſtituta) ac tandem apud Heſcham, Flandriæ Vicum, multis Vulneribus ſaucium, & pro Perſecutoribus exorantem, etiam obtruncarent, pridiè Idûs Novembris, Anno Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimo trigeſimo tertio, Pontificatûs verò Honorii Papæ Primi nono. Eodem Tempore nobilem quoque, & religioſam Matronam, Nomine Craphahildem, Livini Hoſpitam, unà cum Filiolo ejus Brixio, quem Livinus de ſacro Fonte ſuſceperat, cùm palàm quererentur immeritò interfectum eſſe Sanctum Epiſcopum, immaniter trucidarunt.

Lectio VI.

EXindè porrò Diſcipuli Beati Martyris collectum ejus Corpus, ſimul cum Beati Brixii Corpuſculo, uno eodèmque in Loco apud Hauthemum, Teritorii Aloeſtenſis, & Diæceſis Cameracenſis, vicinum Pagum, decenter ſepelierunt, ac juxtà eos ſeorsùm Sanctam Martyrem Craphahildem. Creſcente autem in Dies Prodigiorum Numero, & Populorum Devotione, plures factæ ſunt ſacrarum Exuviarum Tranſlationes. Anno ſiquidem octingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Theodorus, Cameracenſium Epiſcopus, Sanctorum Livini, & Brixii, Corpora Humo extulit, & Loco celſiori, atque decentiori, collocavit, Deindè Anno milleſimo ſeptimo, Erembaldus, Monaſterii Gandavenſis Sancti Bavonis Abbas, Sancti Livini Corpus, integrum repertum, Securitatis ergò è ſubjecta Sibi Hauthemenſi Eccleſia in Cænobium ſuum deportavit, procedente obviàm, devotè, ac feſtivè, Gandavenſi Populo, ingenti Numero effuſo, Miraculorum Gloriâ, & Sanitatum Gratiis, communem Lætitiam magnoperè adaugentibus. Quo in Loco per Radbodum,

Radbodum, Noviomagenſium, Tornacenſiumque, Epiſcopum, & Withmannum Abbatem, Anno milleſimo octuageſimo tertio, Tranſlatione factâ; rursùs poſt Annos propè nonaginta, Tempore Bettonis Abbatis, Sacræ Livini Reliquiæ à Waltero, Tornacenſi Epiſcopo, in novo Loculo, ornatiſſimè præparato, ſummâ Religione conditæ ſunt. Denique Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Calviniſtis Gandavum depopulantibus, eædem Reliquiæ cum aliis permultis illatæ ſunt in Caſtrum novum, à Carolo Quinto, Romanorum Imperatore, extructum, indèque Anno ſequenti in Collegiata Sancti Bavonis Eccleſia, quæ modo Cathedralis eſt, honorificè repoſitæ ſunt.

In tertio Nocturno, Si quis venit ad Me, *ut in Communi unius Martyris.*

Miſſa, ut in Communi unius Martyris Pontificis cum dicto Evangelio.

Die XIV. Novembris.

IN FESTO

S. LAURENTII O TOOLEI,

Archiepiſcopi Dublinienſis, & Confeſſoris, per Univerſam Hiberniam Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legati.

Duplex Majus.

Omnia de Communi Confeſſoris Pontificis, præter hìc poſita.

Hoc Officium deſumptum eſt ex Proprio SS. Eccleſiæ Abbatialis Augenſis, Canonicorum Regularium, Archidiæceſis Rotomagenſis, in Normannia.

[*Qui nonum recitare tenentur Reſponſorium, illud deſumant ex Communi. Ad primas autem Veſperas dicere poterunt Reſponſorium* VI. Nunquid.]

Ad Veſperas.

Ant. DOMINUS ab Utero vocavit eum, de Ventre Matris ſuæ recordatus eſt Nominis ejus, & vocavit eum Nomine ſuo. *Pſalmi conſueti.*

Ant. Crevit Puer, & benedixit ei Dominus, cæpitque Spiritus Dei eſſe cum eo.

Ant. Puer autem erat Miniſter in Conſpectu Domini antè Faciem Sacerdotis, fecitque quod bonum, & placitum erat ei.

Ant. Perambulavit Civitatem, & perdidit Impios ex ea, & avertit Iram ab Iſrael.

Ant. In Benedictione Juſti exaltabitur Civitas, & Nomen ejus vivet in Generationem, & Generationem.

Coti-

Capitulum. Baruch 5.

CIRCUMDABIT te Deus Diploide Juſtitiæ, & imponet Mitram Capiti Honoris æterni: Oſtendet Splendorem ſuum in te, omni qui ſub Cœlo eſt; nominabitur enim Tibi Nomen à Deo: Pax Juſtitiæ, & Honor Pietatis.

HYMNUS.

QUOS ponit Deus Populis regendis,
Præſules format priùs, atque fingit,
Ne parùm caſti veneranda tractent
Sacra Miniſtri.

Non Favor Regum, neque Te Tumultus
Plebis inſanæ, tua ſed tot Annis
Nota, Laurenti, Pietas ad altos
Vexit Honores.

Hauſeras, ſacros meditando Libros,
Magna cæleſtis Documenta Vitæ,
Hinc inardeſcunt calefacta puris
Pectora Flammis.

Blandior quicquid malè ſuadet Ætas,
Frænat auſteræ Pietatis Ardor,
Integrum Pectus violare nunquàm
Auſa Voluptas.

Sub Jugo Sensûs ſubigis ſevero,
Sola Mens regnat, Sociumque Pœnis
Edomat Corpus, domitoque Vires
Sumit ab Hoſte.

Chriſte, qui Nobis, Patre ſic jubente,
Pontifex factus, Tibi Laus, tuoque
Una ſit Patri, ſit & una ſancto
Semper Amori. *Amen.*

Verſ. Exaltent eum in Eccleſia Plebis. *Reſp.* Et in Cathedra Seniorum laudent eum.

Ad Magnificat, Antiphona.

AMBULAVIT Pes meus Iter rectum, à Juventute mea inveſtigabam Sapientiam, inclinavi modicè Aurem meam, & excepi illam.

ORATIO.

OMNIPOTENS, & misericors Deus, qui beatum Laurentium Confessorem tuum, atque Pontificem, profusâ in Pauperes Charitate, & præclarâ Miraculorum Gratiâ sublimasti: Tribue, quæsumus, ut ejus Exemplo, & Intercessione, Miserationis Viscera induti, Medelam Corporum, & Salutem Animarum, consequi mereamur. Per Dominum, &c. Ad Matutinum.

Invitatorium: Christum Dominum, Pastorem magnum Ovium, * Venite adoremus.

HYMNUS.

PRæsulum Curis, teneris ab Annis,
Hauseras puræ Documenta Vitæ,
Teque crescentem Pietas Magistra
Finxit Alumnum.

Quid times sacris, venerande Præsul,
Infulis sacram redimire Frontem?
Te Deus poscit, facilis Precantium
Annue Votis.

Annuit, læti cecinere Cives,
Protinus Cœlo nova Lux sereno,
Ad novi fausti radiasse visa
Sideris Ortum.

Se probat Patrem, docet imperitos,
Erigit tristes, inopesque pascit,
Fidus illæsum vigilando Pastor
Servat Ovile.

Se Gregis Formam, Dominantis expers
Imperii, præbet, Dominum secutus,
Qui recumbentes voluit Minister,
Pascere Fratres.

Christe, qui Nobis, *ut suprà in Vesperis.*

In I. Nocturno.

Ant. QUIS, putas, Puer iste erit? Etenim Manus Domini erat cum illo.

Ant. Bonum est Viro cùm portaverit Jugum ab Adolescentia sua, Jugum enim Domine suave, & Onus ejus leve.

Ant. Erat Spiritu fervens, Domino serviens, Spe gaudens, in Tribulatione patiens, Orationi instans, Necessitatibus Sanctorum communicans, Hospitalitatem sectans.

Vers.

Verſ. Dabo Vobis Paſtores juxtà Cor meum. *Reſp.* Et paſcent Vos Scientiâ, & Doctrinâ.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio I. *Cap.* 15.

MACCHABÆUS autem ſemper confidebat cum omni Spe Auxilium ſibi à Deo affuturum, & hortabatur ſuos ne formidarent Adventum Nationum, ſed in Mente haberent Adjutoria ſibi facta de Cœlo, & nunc ſperarent ab Omnipotente ſibi affuturam Victoriam. Et allocutus eos de Lege, & Prophetis, admonens etiam Certamina, quæ fecerant priùs, promptiores conſtituit eos: Et ità Animis erectis, ſimul oſtendebat Gentium Fallaciam, & Juramentorum Prævaricationem. Singulos autem illorum armavit, non Clypei, & Haſtæ Munitione, ſed Sermonibus optimis, & Exhortationibus, expoſito digno Fide Somnio, per quod Univerſos lætificavit. Erat autem hujuſcemodi Viſus: Oniam, qui fuerat ſummus Sacerdos, Virum bonum, & benignum, verecundum Viſu, modeſtum Moribus, & eloquio decorum, & qui à Puero in Virtutibus exercitatus ſit, Manus protendentem, orare pro omni Populo Iſrael.

Reſp. Ab Infantia ſua ſemper Deum timuit, & Mandata ejus cuſtodivit. * Immobilis in Dei Timore permanſit, agens Gratias Deo omnibus Diebus Vitæ ſuæ. *Verſ.* Puer autem creſcebat, & confortabatur; plenus Sapientiâ, & Gratia Dei erat cum illo. * Immobilis.

Lectio II.

POST hæc apparuiſſe & alium Virum Ætate, & Gloriâ mirabilem, & magni Decoris Habitudine circà illum. Reſpondentem verò Oniam dixiſſe: Hic eſt Fratrum Amator, & Populi Iſrael: Hic eſt, qui multùm orat pro Populo, & univerſa ſancta Civitate, Jeremias Propheta Dei. Extendiſſe autem Jeremiam Dexteram, & dediſſe Judæ Gladium aureum dicentem: Accipe ſanctum Gladium, Munus a Deo, in quo dejicies Adverſarios Populi mei Iſrael. Exhortati itaque Judæ Sermonibus bonis valdè, de quibus extolli poſſet Impetus, & Animi Juvenum confortari, ſtatuerunt dimicare, & confligere fortiter, ut Virtus de Negotiis judicaret; eo quod Civitas ſancta, & Templum periclitarentur.

rentur. Erat enim pro Uxoribus, & Filiis, itemque pro Fratribus, & Cognatis, minor Sollicitudo: Maximus verò, & primus pro Sanctitate Timor erat Templi. Sed & eos, qui in Civitate erant, non minima Sollicitudo habebat pro his, qui congreſſuri erant.

Reſp. Exibat foràs Noctibus, & antè Lucem, ad adorandum Deum ſuum. * Et orabat Dominum Deum Iſrael, ut dirigeret Viam ejus ad Liberationem Populi ſui. *Verſ.* Jejuniis, & Obſecrationibus ſerviebat Nocte, ac Die. * Et orabat.

LECTIO III.

ET cùm jam omnes ſperarent Judicium futurum, Hoſteſque adeſſent, atque Exercitus eſſet ordinatus, Beſtiæ, Equiteſque, opportuno in Loco compoſiti; conſiderans Machabæus Adventum Multitudinis, & Apparatum varium Armorum, & Ferocitatem Beſtiarum, extendens Manus in Cælum, Prodigia facientem Dominum invocavit, qui non ſecundùm Armorum Potentiam, ſed prout ipſi placet, dat dignis Victoriam. Dixit autem invocans hoc Modo: Tu Domine, qui miſiſti Angelum tuum ſub Ezechia Rege Juda, & interfeciſti de Caſtris Sennacherib centum octoginta quinque millia: Et nunc Dominator Cælorum mitte Angelum tuum bonum antè Nos, in Timore, & Tremore Magnitudinis Brachii tui, ut metuant, qui cum Blaſphemia veniunt adversùs ſanctum Populum tuum. Nicanor autem, & qui cum ipſo erant, cum Tubis, & Canticis admovebant. Judas verò, & qui cum eo erant, invocato Deo, per Orationes congreſſi ſunt, Manu quidem pugnantes, ſed Dominum Cordibus orantes.

Reſp. Dilectus Deo, & Hominibus, cujus Memoria in Benedictione eſt. * Magnus fuit ſecundùm Nomen ſuum, maximus in Salutem Electorum Dei. *Verſ.* Talis decebat, ut Nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à Peccatoribus, & excelſior Cælis factus. * Magnus fuit. Gloria Patri. * Magnus fuit.

In II. Nocturno.

Ant. MEMORATUS Juſtitiæ Dei ſolius, indutus eſt Sacco, ſpargens Cinerem Capiti, & Corpus ſuum humiliavit Jejuniis.

Ant. Manus ſuas extulit in omnem Congregationem Filiorum Iſrael dare Gloriam Deo à Labiis ſuis, & in Nomine ipſius gloriari.

Ant.

Ant. Sollicitè curavit Seipſum probabilem exhibere Deo, Operarium inconfuſibilem, rectè tractantem Verbum Veritatis.

Verſ. In Medio Populi exaltabitur. *Reſp.* Et in Multitudine Electorum habebit Laudem.

Ex Bulla Canonizationis, Actiſque ſinceris à Monacho Augenſi coævo conſcriptis apud Surium; item ex Breviario Canonicorum Regularium Lateranenſium, & Proprio Archidiæceſis Rotomagenſis; necnon ex Baronio, Alberto Myræo, Meſnardo, Lipeolo, aliiſque probatis Auctoribus.

LECTIO IV.

LAURENTIUS Hibernus, Dublinii Archiepiſcopus, Mauritio O Tooleo, Imaliæ, aliarumque in Lagenia Ditionum Regulo, & Inianâ Ivrien (quæ Principis Filia interpretatur) clariſſimis Parentibus natus eſt. Ab Infantia Chriſtianis Moribus ſub Donato Comite inſtitutus, decimo Ætatis Anno Dermitio, Regi Lageniæ ferociſſimo, Pacis Obſes traditus, ejus Juſſu in ſterilem, & ingratam Terram deportatus, multas Ærumnas, & Anguſtias, Animo ſuprà Ætatem conſtanti, & invicto, ſuperavit. Poſt Biennium, Exilio ſolutus, contemptâ paternâ Hæreditate, Mundique Felicitate, Seipſum Epiſcopo Diæceſis Glandalacenſis libens obtulit, inter illius Clericos conſcribendus. A quo exceptus, tantùm eo Magiſtro profecit, ut factus jam Monachus, dùm eſſet viginti quinque duntaxàt Annorum Dignitatem Abbatialem, quæ prima erat poſt Epiſcopalem, Univerſo Clero, & Populo, rogantibus, obtineret. Illam adeptus ità exercuit, ut Eccleſiaſticorum Reddituum Miniſter potiùs, & Diſpenſator, quàm Dominus, aut Prælatus, videretur. Ergà omnes humillimus, & in ſublevandis Pauperum Neceſſitatibus adeò profuſus erat, ut nedùm ampliſſimos Glandalacenſis Abbatiæ Proventus, ſed & paternos Theſauros, in Egenos, & Inopes, erogaret. Mortuo Epiſcopo Glandalacenſi, in unum omnes Laurentium, qui vacantem Sedem dignè occupet, conveniunt; ſolus ille Vires ſuas tanto Oneri impares, & Ætatem Muneri Paſtoris immaturam, obtendit, divinâ ſcilicet Providentiâ eum ad majora, atque utiliora, reſervante. Defuncto enim aliquantò poſt Gregorio,

gorio, Dublinienſis Metropolis Archiepiſcopo, invitus licèt, & Modis omnibus reluctans, in ejus Locum ſufficitur, & a Sancto Gelaſio, Primate Armacano, aliis aſſiſtentibus Epiſcopis, in ipſa Dublinienſi Cathedrali Sanctiſſimæ Trinitatis (Eccleſia Chriſti vulgò nuncupatâ) ſolemni Ritu conſecratur, Anno Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo. Ut commiſſum Sibi Populum ad exactam Chriſtianæ Vitæ Normam, Clerum, verò ad regulariorem Obſervantiam, reformaret, Cathedrales ſuos ex Sæcularibus Regulares Canonicos, Authoritate Summi Pontificis, effecit. Mox ipſe quoque illorum Habitum, & vivendi Modum, aſſumens, ad Exemplum Sancti Auguſtini communi cum illis Domo, Mensâque, utens, mediâ Nocte ad Matutinas Laudes decantandas ſurgere ſolebat, quibus perſolutis, Moram in Choro protrahens, integrum recitabat Pſalterium coram Chriſti in Cruce pendentis Imagine, & exortâ Luce Cæmiterium adibat, pro Animabus Defunctorum exoraturus.

Reſp. Induit Se ſicut electus Dei, ſanctus, & dilectus, Viſcera Miſericordiæ, Benignitatem, Humilitatem, Modeſtiam, Patientiam, ſuper omnia autem Charitatem, quod eſt Vinculum Perfectionis * Et Pax Dei exultabat in Corde ejus. *Verſ.* Hic eſt Vir Miſericordiæ, cujus Pietates non defuerunt, & Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum. *Et Pax Dei.

Lectio V.

MIRA in eo luxit Humanitas, mira in Pauperes Benignitas, quorum circiter mille, dùm tota Hibernia Ciborum Penuriâ laboraret, integrô Trienniô aluit. Auſteritate refulſit admirabili, ſæpè tribus tantùm Diebus in Hebdomada modicum Panis, & Aquæ ſumens. Cilicio uſque ad Talos indutus, ter ſaltem in Die Corpus Flagellis acriter verberabat. Crebrò viſitabat impervium, horridumque Antrum, Beati Coemgeni, (vulgò dicti Kevani) Monaſterii Glandalacenſis Fundatoris, primique Abbatis, Habitatione, & Miraculis conſecratum, ubi, velut alter Moyſes, Contemplationis divinæ Suavitate reficiebatur. Inſtar Jeremiæ, mærens, & lugens Teſtis extitit Stragis Populi ſui, dum Angli Hiberniam ingreſſi, ut Dermitio, Regi Lageniæ ſuprà

prà dicto, Suppetias ferrent, Dublinium expugnarent. Ipſe etiam multis affectus Injuriis, Rebus Civium ſuorum, quantùm poterat, defenſis, & munitis, Morti Seſe pro illis exponere minimè dubitavit. Corpora etiam in Obſidione cæſorum pius Paſtor, inter Manus Hoſtium adhuc palpitantia, rapiebat, &, velut alter Tobias, feſtinabat Chriſtianæ tradere Sepulturæ. Multas pro Dei Gloria Perſecutiones, infracto hilarique Animo paſſus eſt, multas Calumnias invictè ſuſtinuit. Cùm ſemel in Eccleſia Cathedrali Cantuarienſi, ad impetranda Sancti Thomæ, Martyrium non ità pridem paſſi, Suffragia, Miſſam celebraret, Fatuus quidam audiens eum Epiſcopum dignum, & religioſum eſſe, ſe rectè, & piè facturum arbitratus eſt, ſi occidendo Laurentium, Sancto Thomæ, in eadem Eccleſia obtruncato, redderet parem. Mox igitur, per medium irruens Populum, Caput Antiſtitis ingenti Fuſte maxima cum Vehementia percuſſit. Id videntes Clerici, celebrantem Pontificem occiſum, aut certè lethaliter vulneratum, exiſtimabant; at Vir ſanctus ſurgens, Aquâ Signo Crucis benedictâ Vulnus lavari juſſit, ſtatimque, ceſſante Sanguinis Fluxu, ſanatum eſt; dein inchoata Miſſarum ſolemnia abſolvit. Ipſum autem Vulneris Veſtigium ſemper manſit, & in Cranio Fractura, deficiente Oſſis Particulâ, apparere cernitur uſque in hodiernum Diem. Romam profectus, ut Synodo Œcumenicæ Lateranenſi tertiæ intereſſet, cùm ibi multa pro Eccleſiaſtica Libertate peregiſſet, totius Hiberniæ Legatus ab Alexandro Tertio Romano Pontifice conſtituitur. Quo in Munere, Prophetiæ Dono, & Miraculorum Gloria illuſtris, ſuis Precibus Dæmones ſæpiùs fugavit, Cæcis Viſum, Claudis Greſſum, Mutis Loquelam, Surdis Auditum, Leproſis Mundationem, variiſque afflictis Languoribus Sanitatem reſtituit, ſeptem mortuos, quorum unus triduanus erat, (Galvedius ſcilicet, Preſbyter Eccleſiæ Parochialis ſancti Martini Dublinii) mirificè ſuſcitavit.

Reſp. Oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt Mortem prophetaverunt. * In Vita ſua Fecit Monſtra, & in Morte Mirabilia operatus eſt. *Verſ.* Cæci vident, Claudi ambulant, Leproſi mundantur, Surdi audiunt, Mortui reſurgunt. * In Vita ſua.

Lectio VI.

SUAM demùm & ipſe Mortem prævidit. Exortâ enim inter Henricum Secundum Angliæ Regem (ſub quo paſſus eſt laudatus Sanctus Thomas Martyr glorioſus) & Regem Hiberniæ Rodericum, ſævâ Diſcordiâ, electus Dei Pontifex, Pacis Amore flagrans, transfretavit in Angliam, ut diſſidentes reconciliaret; ſed contrà Chriſti Servum bonum, & fidelem exacerbatus Henricus, Regio prohibuit Interdicto, ne in Hiberniam regrederetur. Quarè ipſum Henricum Regem, in Normanniam profectum, ſecutus, ibidem Febribus, adhuc itinerans, correptus eſt, & ubi ex Montis Supercilio, quod Augenſi Caſtro ſupereminet, Eccleſiam vidit Beatæ Mariæ, quam Canonici eſſe Inſtituti audierat, cum Regio Vate dicere non dubitavit: Hæc Requies mea in Sæculum Sæculi, hìc habitabo quoniam elegi eam. Ubi ergò primùm ad eam acceſſit, præmiſsâ ſacramentali Confeſſione, Sacroſancto Viatico munitus, ab Abbate Oſberto, & Canonicis, in Fratrem recipi demiſsè poſtulavit, quibus libentiſſimè annuentibus, Extremam ſumpſit Unctionem, tandemque in ſolitâ Orationum Devotione ad Finem uſque perſeverans, pronunciato illo Pſalmi Verſiculo: Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in Te confidit Anima mea, obdormivit in Domino Veſperâ Feriæ ſextæ, decimo octavo Kalendarum Decembrium, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo octogeſimo, Pontificatûs Alexandri Papæ Tertii prælibati vigeſimo ſecundo, Ætatis verò ſuæ quinquageſimo octavo. Exequiis Sancti Confeſſoris ſolemniter celebratis adeſſe contigit Alexius, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & in Scotiam Legatus, in cujus, aliorumque multorum, Præſentia, Corpus Beati Pontificis in Medio Augenſis Eccleſiæ honorificè, & reverenter, tumulatum fuit. Sed Annis quatuor, & Menſibus ſex elapſis, integrum repertum, in Scrinio argenteo juxtà Altare majus collocatum fuit. Die decima Maii, cujus Tranſlationis Anniverſaria Dies quotannis ſub Ritu Duplici Majori ab Augenſibus celebratur. Caput verò præclariſſimi Antiſtitis ſeorſim in Theca argentea cum Mitra, ſimul cum aliquot ipſius, dùm viveret, Infulis,

in

in ejuſdem Eccleſiæ Sacrario religiosè cuſtodiuntur. Nonnullæ etiam ſacrarum Exuviarum Particulæ ad ſuprà dictam Sanctiſſimæ Trinitatis Dublinienſem Eccleſiam tranſlatæ fuere; quædam verò debito cum Honore aſſervantur Pariſiis in Abbatiæ Sancti Victoris, Regii Vallis de Gratia Monaſterii, ac Hoſpitii Domûs Dei, Eccleſiis, ſicut & in Eccleſia Canonicorum Regularium Civitatis Sylvanectenſis in Inſula Franciæ. Eundem porrò beatum Archiepiſcopum, & Confeſſorem, antè & poſt Mortem Miraculis coruſcantem, Honorius Papa Tertius Sanctorum Faſtis ſolemni Ritu adſcripſit.

Reſp. Nunquid conſideraſti Servum meum, quod non ſit ei ſimilis in Terra * Vir ſecundùm Cor meum, qui faciet omnes Voluntates meas. *Verſ.* Reliqui Te, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Civitates Preſbyteros, ſicut & Ego diſpoſui Tibi. * Vir ſecundùm Cor. Gloria Parri. * Vir ſecundùm Cor.

In III. Nocturno.

Ant. NATUS eſt Homo, Firmamentum Gentis, Rector Fratrum, Stabilimentum Populi, qui diſperdebat de Civitate omnes operantes Iniquitatem.

Ant. Non ſibi ſumpſit Honorem, ſed vocatus fuit à Deo tanquàm Aaron, ut Nobis eſſet Pontifex in iis, quæ ſunt ad Deum.

Ant. Sicut Paſtor, Gregem ſuum paſcebat; in Brachio ſuo congregabat Agnos, & in Sinu ſuo levabat.

Verſ. Legem ſtatuit ei Dominus in Via, quam elegit. *Reſp.* Anima ejus in Bonis demorabitur.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Joannem.

Lectio VII. *Cap.* 21.

IN illo Tempore, dixit Simoni Petro Jeſus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, Tu ſcis quia amo Te. Dicit ei: Paſce Agnos meos. Et reliqua.

Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

In Joan. Tract. 123.

DOMINUS quod ſciebat, interrogat; nec ſemel, ſed iterùm, ac tertiò, utrùm Petrus eum diligat; nec aliud toties audit à Petro, quàm ſe diligi; nec aliud toties commendat Petro, quàm Oves ſuas paſci.

Redditur

Redditur Negationi trinæ trina Confeſſio, nè minùs Amori ſerviat Lingua quàm Timori, & plus Vocis elicuiſſe videatur Mors imminens, quàm Vita præſens. Sit Amoris Officium, paſcere Dominicum Gregem, ſi fuit Timoris Indicium negare Paſtorem. Qui hoc Animo paſcunt Oves Chriſti, ut ſuas velint eſſe, non Chriſti, ſe convincuntur amare, non Chriſtum; vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi Cupiditate, non obediendi, & ſubveniendi, & Deo placendi Charitate.

Reſp. Dedit illi Dominus in Præceptis ſuis Poteſtatem, * Docere Jacob Teſtimonia, & in Lege ſua Lucem dare. *Verſ.* Hic eruditus erat omni Sapientiâ, & erat potens in Verbis, & in Operibus ſuis. * Docere Jacob.

LECTIO VIII.

NON ergò Nos, ſed ipſum amemus; & in paſcendis Ovibus ejus, ea, quæ ſunt ejus, non ea, quæ ſunt noſtra, quæramus. Cujus Amor in eo, qui paſcit Oves ejus, in tàm magnum debet Spiritalem creſcere Ardorem, ut vincat etiam Mortis naturalis Timorem, quo mori nolumus, & quandò cum Chriſto vivere volumus. Petro Sancto, primo Apoſtolo, Dominus ipſe Jeſus Paſſionem ejus, Crucem ejus prænunciavit, ſed jam amanti, non neganti. Sed quid eſt aliud, Fratres, quem non moveat? Alter, inquit, Te cinget, & feret quò Tu Nos vis Non ergò volens Petrus ad tantam Gratiam Paſſionis advenit? Ecce Paulus; Ego enim jam immolor, & Tempus Reſolutionis meæ inſtat, videtur in his Verbis exultando quaſi feſtinare ad Paſſionem. Igitur volens Paulus, & nolens Petrus? Immò ſi intelligamus, volens Paulus, & volens Petrus; & nolens Paulus, & nolens Petrus.

Reſp. Quaſi Sol refulgens, ſic ille fulſit in Templo Dei. * Quaſi Vas aureum ſolidum, ornatum omni Lapide pretioſo. *Verſ.* Oſtendit Mihi Angelus habentem Claritatem Dei, & Lumen ejus ſimile Lapidi pretioſo, tanquàm Lapidi Jaſpidis, ſicut Cryſtallum. * Quaſi Vas.

LECTIO

LECTIO IX.

DIXIMUS, ambos noluiſſe, & ambos voluiſſe; ambos, ſi fieri poſſet, noluiſſe Pœnam, ambos pariter tamen Coronam adamaſſe. Sed oſtendamus, & Paulum Pœnam noluiſſe. Petro atteſtatus eſt Dominus, Paulus autem ipſe Sibi. Ait enim quodam Loco de mortali iſto Corpore; ingemiſcimus gravati, ſub Sarcina ſcilicet corruptibilis Corporis. Vide utrùm velit hoc Onere ſpoliari, ſub quo gravatur ſub quo ingemiſcit. Non hoc ſequitur; ſed quid ait, in quo nolumus expoliari? O Vocem Naturæ, Confeſſionem Pœnæ! Grave Corpus eſt, oneroſum Corpus eſt, corruptibile Corpus eſt; gemitur ſub illo, & non libenter deſeritur, & non libenter deponitur. Nolumus, inquit, ſpoliari. Sic remanſurus es gemens? Et ſi ingemiſcis gravatus, quare ſpoliari non vis? Vide quid ſequitur: Nolumus ſpoliari, ſed ſuperveſtiri.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas.

Ant. HIC eſt Sacerdos magnus inter Fratres ſuos, ſuper cujus Caput fuſum eſt Unctionis Oleum, veſtituſque eſt ſanctis Veſtibus. *Pſalmi conſueti.*

Ant. Corona aurea ſuper mitram ejus, expreſſa Signo Sanctitatis, & Gloriâ Honoris; Stolâque Gloriæ indutum glorificavit Dominus in Conſpectu Regum.

Ant. Factum eſt illi in Teſtamentum æternum, fungi Sacerdotio, & habere Laudem, & glorificare Populum ſuum in Nomine Domini.

Ant. Ipſum elegit Dominus ab omni Vivente, offerre Sacrificium Deo, Incenſum, & bonum Odorem, in Memoriam placare pro Populo ſuo.

Ant. In Fide, & Lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum Principem Sanctorum, & Gentis ſuæ, ut ſit illi Sacerdotii Dignitas in æternum

Capitulum: Circumdabit, *ut ſuprà in Veſperis.*

HYMNUS.

TE pium dicam, Sceleriſque purum,
Te canam fortem, Grege pro tuendo,
Cuilibet promptum Miſero benignam
Tendere Dextram.

Dùm Fames magna populatur Urbem,
Triſtis & vexat Populos Egeſtas,
Charitas, Fundo meliore dives,
Paſcit Egenos.
Excubant fruſtrà, neque Civitatem
Militum ſervant vigiles Catervæ,
Ni Deus Cuſtos Speculâ gubernans,
Servet ab altâ.
Princeps & effert Caput inter Urbes,
Et ſuum jactat Dublina Patronum,
Cujus ad Feſtum ſonat Urbs, & omnis
Regio Cœli.
Jam Gregis natus Bono ille Paſtor,
Grexque Paſtori vigil excubabit,
Credito, ne quid Rabie Luporum
De Grege perdat.

Chriſte, qui Nobis, *ut ſuprà in Veſperis.*

Verſ. Diſperſit dedit Pauperibus. *Reſp.* Juſtitia ejus manet in Sæculum Sæculi.

Ad Benedictus, Antiphona.

BENEDICTIO perituri ſuper Me veniebat, & Cor Viduæ conſolatus ſum, Pater eram Pauperum, Oculus fui Cæco, & Pes Claudo, liberavi Inopem vociferantem, & Pupillum, cui non erat Adjutor.

Ad Tertiam, Capitulum: Circumdabit, *ut ſuprà in Veſperis.*

Reſp. DABO Vobis Paſtores * Juxtà Cor meum. * Dabo. *Verſ.* Et paſcent Vos Scientiâ, & Doctrinâ. * Juxtà. Gloria Patri. * Dabo.

Verſ. In Medio Populi exaltabitur. *Reſp.* Et in Multitudine Electorum habebit Laudem.

Ad Sextam, Capitulum. 1 *Theſſ.* 4.

FRATRES, ſcitis quæ Præcepta dederim Vobis per Dominum Jeſum, hæc eſt enim Voluntas Dei, Sanctificatio veſtra.

Reſp.

Resp. In Medio Populi * Exaltabitur. * In Medio. *Vers.* Et in Multitudine Electorum habebit Laudem. * Exaltabitur. Gloria Patri. * In Medio.

Vers. Legem statuit ei Dominus in Via, quam elegit. *Resp.* Anima ejus in Bonis demorabitur.

Ad Nonam, Capitulum. 1 *Cor.* 11.

FRATRES, Imitatores mei estote, sicut & Ego Christi; laudo autem Vos, quod per omnia mei memores estis; & sicut tradidi Vobis Præcepta mea, tenetis.

Resp. Legem statuit ei Dominus. * In Via, quam elegit. * Legem. *Vers.* Anima ejus in Bonis demorabitur. * In Via. Gloria Patri. * Legem.

Vers. Dispersit dedit Pauperibus. *Resp.* Justitia ejus manet in Sæculum Sæculi.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quasi Tubam exaltavit Vocem suam, & annunciavit Populo suo Scelera eorum; fregit Esurienti Panem suum, & Egenos, Vagosque, induxit in Domum suam, cùm videret Nudum, operuit eum; ideò oriebatur in Tenebris Lux ejus, & implevit Dominus Splendoribus Animam ejus, & Ossa ejus liberavit.

Missa, Statuit, *ut in Communi Confessoris Pontificis, excepto Evangelio, quod reperire est in Missa Vigiliæ SS. Petri & Pauli, ad Diem* 28 *Junii.* Credo *in Provincia Dublinienſi.*

Die XXIV. Novembris,

IN FESTO

S. COLUMBANI,

Monaſteriorum Luxovienſis, & Fontanenſis (in Burgundia) atque Bobienſis (in Inſubria, hodiè Ducatu Mediolanenſi Italiæ) Fundatoris, primique Abbatis.

Duplex Majus.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis, præter hìc poſita.

ORATIO.

DEUS, qui beatum Abbatem Columbanum Charitatis, & Pœnitentiæ Donis inſigniter decoraſti: Ejus Interceſſione, & Exemplo, da Nobis id amare quod præcipis, id deſiderare quod promittis; ut inter mundanas Varietates, ibi noſtra fixa ſint Corda, ubi vera ſunt Gaudia. Per Dominum, &c.

Lectiones primi Nocturni ut in Feſto S. Galli, Die 16 *Octobris, Pag.* 88.

In II. Nocturno.

Ex Ven. Beda, Jona Abbate, Baronio, Surio, aliiſque claris Auctoribus; & ex variis Breviariis, præſertim Benedictino.

LECTIO IV.

COLUMBANUS Hibernus, circà Annum Chriſti quingenteſimum trigeſimum nonum, in Lageniæ Provincia natus, jam indè ab Utero Matris, quæ ipſo gravida vidit per Quietem è Sinu ſuo rutilantem Solem procedere, futuram

futuram Claritatem præſignavit. Sub Magiſtro ſuo, Sancto Sinello, humanis, diviniſque Literis apprimè inſtructus, inter cætera Ingenii ſui, & Doctrinæ Monumenta, Expoſitionem in Pſalmos adhuc Adoleſcens edidit, multaque de divina Pſalmodia, & Chriſtiana Pietate, utiliter ſcripſit. Carnis, Mundi, ac Dæmonis Triumphator, per calcatam Matrem, ſtratô Sibi ad Religionem Itinere, in Ultoniam perrexit, Monaſteriumque Benchorenſe, eo Tempore celeberrimum, ſub Beatiſſimo Patre Congallo, ingreſſus eſt, in qua Sapientiæ ſanctioris Schola uſque adeò profecit, ut paucos poſt Annos, ex Diſcipulo factus Magiſter Virtutis, & ad Munus prædicandæ Evangelicæ Veritatis a Deo vocatus, aſſumptis ſecum ex eodem Cœnobio duodecim Monachis (quos inter erat Sanctus Gallus, Abbas poſteà præclarus) in Britanniam, indeque in Galliam, trajecerit, Anno quingenteſimo octogeſimo nono. A Francorum-Auſtraſiorum, Burgundionumque Rege Sigeberto perhumaniter exceptus, vaſtam Voſagi Montis in Burgundiæ Comitatu Eremum, Lotharingiæ, & Alſatiæ conterminam, petiit, ubi in Loco, cui Nomen Anagrates, humiles Caſas Sibi, Sociiſque conſtruxit, quibus, in ſumma Vitæ Auſteritate, ac Rerum omnium Inopia, degentibus, ſæpè Deus Alimentum mirabiliter providit. Sed cùm illa Solitudo ab iis, qui ad Columbanum, Sanitatis obtinendæ Gratiâ, confluebant, frequentari cæpiſſet, Feſtis ſolemnioribus ſecedens ipſe in interioris Deſerti Speluncam, quam digniori huic Hoſpiti Urſus conceſſerat, ſylveſtrium Arborum Fructu, & Fontis, quem è Petra, velut alter Moyſes, eduxerat, Undâ recreatus (fluit autem Fons ille uſque in hodiernum Diem) procul ab Hominum Conſortio, Rerumque terrenarum Curis, Mentem divinis Contemplationibus ſolebat exercere.

Lectio V.

CUM verò Sanctitatis illius Fama ex hiſce Latebris erumpens, plures ad efflagitandum ejus Magiſterium undique alliceret, acceptâ ab antedicto Rege Sigeberto Licentiâ, Luxovienſe Monaſterium, Anno quingenteſimo nonageſimo ſecundo, condidit, quò tanta Monachorum confluxit Multitudo, ut Laus divina, quam perennem (ſeù perpetuam) vocant, illic vigeret, ſcilicèt

ſuc-

ſuccedentibus viciſsìm ſibi Choris, in decantandis Dei Laudibus Dies Noctibus continuebantur. Eoſdem Monachos Exemplis ſuis, ac ſalubribus Præceptis, informavit, illoſque ut in Obedientia exerceret, ægros aliquandò è Lectulo ſurgere, ac Frumentum flagellare, juſſit, Obedientibus Sanitatem, veluti Laboris ſui Fructum, conſecutis. Suis etiam Precibus Annonam nunc in Horreis, nunc in Manibus creſcere fecit. Ædificatô poſteà Fontanenſi Cœnobiô, Regulam Monaſticam primus Francis tradidit, ac præclara dedit de Mortificatione Præcepta. Auctor etiam fuit variarum Inſtructionum, ſivè Sermonum; item Libelli de Modo, ſeù Menſura, Pœnitentiarum, aliquotque Epiſtolarum, ac Poematum. Interìm dùm Sanctitate, Doctrinâ, & Miraculis toti Galliæ præluceret, Theodoricus, in Burgundiæ Regno Avo ſuo Sigeberto ſuccedens, quòd diſſolutos ejus Mores, præſertìm Concubinatum, ad inſtar Baptiſtæ, liberè argueret Columbanus, verum Dei Famulum, variè vexatum, proſcripſit. Quare Luxovio pulſus, ex Regis Imperio Biſuntium ductus eſt, ubi Captivorum Vincula, Captivus ipſe, ſolo Tactu confregit, moxque eadem, quâ alios donaverat, Libertate ad ſuos reverſus eſt. Tùm verò Theodoricus, inſtante Aviâ ſuâ Brunichilde Reginâ, ità exarſit, ut ad eum è Cœnobio exturbandum miſerit Satellites, quos præſens Columbanus, offusâ divinitùs eorum Oculis, Animiſque Caligine, velut alter Eliſæus, elusit. Nihilominùs Regis Furori cedendum ratus, poſt prænunciatum prophetico Spiritu ipſi, ac Filiis ejus Interitum, Nannetis in Britannia Minori Navim conſcendit, in Hiberniam trajecturus.

Lectio VI.

VERUM exortâ mirabiliter Tempeſtate, in Galliæ Oram repulſus, ad Clotarium Francorum Regem ſe contulit, cui ſe veluti cæleſte Munus excipienti prædixit, poſt tres Annos futurum, ut Theodeberti, & Theoderici Fratrum Regna Ditioni ejus accederent, quod Eventus poſteà comprobavit. Ipſa etiam Brunichildis, Theodeberti, ac Theoderici impiiſſima Avia, infelicem Exitum habuit, ſiquidem eam, in Camelo ignobiliter circumductam, & indomitorum Equorum Caudis alligatam,

tam, miſerabiliter Vitâ privavit Clotarius, ejuſque Cadaver à Populo crematum eſt. Pariſios perveniens Columbanus, ad Portam Civitatis Energumenum ab immundo Spiritu liberavit. Divino Monitu ad Theodebertum, Auſtraſiæ tunc Regem, accedens, & in Itinere ad paternam Domum beati Audoeni divertens, Benedictionem ei impertivit adhuc Puerulo, qui poſtmodùm Rotomagenſis fuit Archiepiſcopus, Doctrinâ, & Sanctitate clarus. A Rege Theodeberto honorificè receptus, acceptâ ab eo Poteſtate, ad Lacum Turcininum, ac denuò apud Brigantium Oppidum, Rheno Flumini vicinum, in Helvetia, reconciliatô Sanctæ Aureliæ Templô, conſedit; dirutiſque Idolorum Fanis, Superſtitionem ubique debellavit. Indè à Gentilibus ejectus, in Italiam, Alpium Juga tranſcendens, pervenit. Ad Agilulphum Longobardorum Regem profectus, Mediolani Arianos Voce, & Libello, contrà ipſos florenti Scientiâ edito, acerrimè expugnavit; in eaque Inſubriæ Regione Ruribus Apenninis, propè Flumen Trebiam, Bobienſe Monaſterium conſtruxit. Tandem Vir Dei, pravorum Regum Terror, & Vindex, ab Hiſtoricis appoſitè dictus, graviſſimis pro Dei Gloria Laboribus perfunctus, in cæleſtem Patriam migravit, undecimo Kalendas Decembris, Anno Chriſti ſexcenteſimo decimo quinto, Ætatis ſuæ circiter ſeptuageſimo ſexto, Pontificatûs verò Sancti Deuſdedit ſecundo, ſepultuſque fuit in Eccleſia dicti Monaſterii Bobienſis, ubi ad ejus Tumulum plurima Miracula patrata ſunt.

In tertio Nocturno Homilia in Evang. Cùm perſequentur Vos, *ut in prælibato Feſto S. Galli, Pag.* 93.

Miſſa, Os Juſti, *ut in Communi Abbatum, præter Evangelium, quod reperire eſt in Feſto S. Athanaſii, ad Diem 2 Maii.*

FINIS.

Pagina	Linea	Errata	Corrige
9	22	Caruis	Carnis
21	4	Minificavit	Magnificavit
22	penult.	Charitatem	Claritatem
55	24	Indicias	Inducias
58	27	imecuit	emicuit
77	19	Requieſcat	Requieſcet
82	27	Cryptæ	Crypta
87	27	dicere	ducere
92	33	plenum	plenam
107	1	Livinius	Livinus
120	25	Nos	Non

CATALOGUE of BOOKS Publiſh'd by IGNATIUS KELLY, at the *Stationers-Arms* in St. *Mary's-lane*.

BISHOP of Meaux's Hiſtory of the Variations of the Proteſtant Churches, 2 Vo's. 12mo. 6*s*. 6*d*.

————Expoſition of the Doctrine of the Catholick Faith 1*s*. 1*d*.

A new Edition of the Catholick Chriſtian inſtructed in the Sacraments and Ceremonies of the Church 2*s*. 2*d*.

Grounds of the Catholick Doctrine with the Profeſſion of Faith 6½ *d*.

Grounds of the Old Religion—by R. Challenor, D.D. 1*s*. 7½*d*.

Doctor Wetham's Annotations on the New Teſtament 2 Vols. 8vo. 8*s*. 8*d*.

Granada's Sinners Guide 4*s*. 4*d*.

Life of St. Francis Xavier, Apoſtle of the Indies, *&c*. 3*s*. 9½*d*.

Novena, or the Nine Days Devotion of St. Francis Xavier 6½*d*.

The Garden of the Soul, or a Manual of Spiritual Exerciſes—by R. Challenor, D. D. 1*s*. 6*d*.

A neat Pocket Edition of the Office of the Dead, Engliſh and Latin 8*d*.

Fifty one Excellent Moral Diſcourſes, On the Creed, Theological Virtues, Ten Commandments, Seven Sacraments, *&c*. by Bernard Francis 2*s*. 8½*d*.

Juſt Publiſh'd, Miſſæ Propriæ Dominicarum et Feſtorum Totius Anni quæ feriantur in populo pluriumque aliorum una cum Communi Sanctorum, Miſſis votivis & Defunctorum, *&c*. ex Miſſali Romano reformato extractæ in uſum Parochorum & Miſſionariorum in Partibus Acatholicorum vel Infidelium. Cum privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, & Permiſſu Superiorum 6*s* 6*d*.

Large Double Manuals 2*s*. 8*d*½.

—— Ditto with beautiful Copper Cuts 3*s*. 6*d*.

The ſincere Catholicks Companion, or, a Neat Small, Pocket Manual, To which is added, an Explanation of all the Sundays, Holydays and Feſtivals of the Year 1*s*. 1*d*.

——Ditto with the Office of the Dead, Engliſh and Latin, added to it 1*s*. 6*d*.

CATALOGUE.

The Sacraments Explained in twenty Diſcourſes by J. H. C. D. S. 2s. 2d.
Office of the Bleſſed Virgin, in Engliſh 2s. 8½d.
——Ditto, Engliſh and Latin 1s. 8d.
The Difference between Temporal and Eternal 4s. 6d.
Funiculus Triplex or the Indulgences of the Cord of St. Francis 8d.
Life of St. Joſeph 8d.
Clarkſon's Introduction to the Roſary 8d.
Think well on't 8d.
The Manner of hearing Maſs, with Prayers before Confeſſion, Communion and Examination of Conſcience, by the Revd. L. Richardſon, D. D. 1s. 7½d.
Pax Vobis, or, Goſpel and Liberty againſt Antient and Modern Papiſts 6½d.
The Office of the Holy Week, according to the Roman Miſſal and Breviary, Containing the Morning and Evening Service from Palm Sunday, to Tueſday in Eaſter-Week, Illuſtrated with Cuts, repreſenting the Paſſion of our Lord and Saviour Jeſus Chriſt. 2s. 8½d.
Abridgment of the Chriſtian Doctrine 6½d.
Touch-ſtone of the Reformed Goſpel 6½d.
——————of the new Religion 6½d.
Fifty Reaſons 6½d.
True Humility 6½d.
Hiſtory of the Proteſtant Religion 6½d.
Gother's Inſtructions for hearing Maſs 6½d.
——————for Confeſſion and Communion 6½d.
——————for the Afflicted and Sick, proper for Curates 1s. 1d.
Sheils Treatiſe, or the Three Brothers 10d.
Manual of Controverſy 2s. 2d.
England's Converſion and Reformation compared 2s. 8½d.
Shorteſt way to End Diſputes about Religion 2s. 2d.
Roſaries of the Bleſſed Name of Jeſus, and of the Bleſſed Virgin 2d.
The Exerciſe of the Via Crucis or the Way of the Croſs, that is, the Steps which Jeſus Chriſt went from Pilate's Tribunal to Mount Calvary, with the Croſs on his Shoulders 1½d.

Fleury's

CATALOGUE.

Fleury's Hiſtorical Catechiſm	2s. 2d.
St. Auguſtine's Confeſſions	2s. 2d.
———————Meditations and Manual	1s. 1d.
———————Solliloquies	8d.
Hell opened to Sinners	8d.
D'Sale's Introduction to a devout Life	1s. 6d.
The new Oddyſſey, by the Spaniſh Homer, being the Travels of the Chriſtian Hero Ulyſſes Deſiderius Pius	1s. 1d.
The good Confeſſor, by M. Morley, D. D.	2s. 8½d.
Spiritual Retreat	1s. 1d.
Entertainment for Lent	1s. 4d.
Rituale Romanum	1s. 7½d.
Four Maxims of Chriſtian Philoſophy	4d.
Blind Obedience of an humble Penitent	1s. 3d.
Roman Catholick's Reaſons why he cannot conform to the Proteſtant Religion	1d.
Bona Mors, or, the Art of dying happily	4d.
Heart of Jeſus	4d.
Preparation for Death	4d.
True Wiſdom	4d.
Net for the Fiſhers of Men	4d.
Key of Paradiſe	1s. 7½d.
Life of Chriſt, and Life of the Bleſſed Virgin	1s. 1d.
Chriſtian Thoughts	4d.
Life of Biſhop Fiſher	2s. 2d.
McCurtin's Iriſh Dictionary	7s. 6d.
Goſpels of St. John, per Dozen	1½d.
———————of St. Mark, per Dozen	1½d.
Chriſtian Doctrine, per Dozen	4d.
Dorrel's Moral Reflections, 4 Vols. 12mo.	6s. 6d.
Practice of the Love of God	8d.
Poor Man's Manual of Devotion	1s. 6d.
The Catholick Chriſtian Doctrine by R. F. W. D.	2d.
Doway's Catechiſm Engliſh and Iriſh	8d.
———————Ditto all Engliſh	2d.
Large and Small Altar Charts, with Maſs Books and Breviaries of the different Orders	
Canons proper to bind up in Folio or Quarto Maſs Books	1s. 1d.
Seventeen Iriſh Sermons on Uſeful and Neceſſary Subjects by I. G. D. D.	2s. 2d.

CATALOGUE.

Dryden's Hind and Panther 6½*d.*
Dunlevy's Engliſh and Iriſh Catechiſm 5*s.*
The Spiritual Combat. To which is added, The Peace of the Soul, and the Happineſs of the Heart which dies to itſelf in order to live to GOD 1*s.* 4*d.*
A Short View of the Engliſh Hiſtory, By Bevill Higgons of the Middle Temple, Eſq; 2*s.* 8½*d.*
The Following of Chriſt, in 4 Books, written in Latin, by Thomas A Kempis, newly tranſlated by Doctor Challenor 1*s.* 1*d.*
An Eye Catechiſm, or the Sum of the Chriſtian Doctrine, beautifully printed in a Broad Side, and on a Fine Paper, very proper for the Inſtruction of Children, and unlearned Catholicks, and proper to be framed or paſted up in Catholick Houſes 1*d.*
Officia Propria Sanctorum Hiberniæ ab Omnibus utriuſquæ Sexus qui ad Horas Canonicas tementur, tam in Memorato Regno quam in Conventibus & Collegiis extranationalibus, ſub Ritu Duplici Majori Recitanda in Vim Duplicis Decreti Sacræ Rituum Congrationis ut duæ priores Paginæ indicabunt 1*s.* 3*d.*
A new Years Gift, or the Virgins Noſegay, being the Duties of Chriſtian Virgins, to which is added, Advice to a new married Lady 1*s.* 3*d.*
A plain and Rational Account of the Catholick Faith 2*s.* 2*d*
Moral Entertainments on the moſt Important Practical Truths of the Chriſtian Religion in 2 Vols. by R. Manning, Author of Englands Converſion 5*s.* 5*d.*
The Real Principles of Catholicks, or a Catechiſm for the Adult, explaining the principal Points of the Doctrine and Ceremonies of the Catholick Church, by J— H— C. A. D. S. 2*s.* 8½*d.*
Juſt Publiſh'd, a neat Edition af the Daily Exerciſe, of the Devout Chriſtian, Containing ſeveral moving Practices of Piety, in order to live Holy and die Happily, by T. V. Monk of the Holy Order of St. Benedict, Adorned with Beautiful Copper Plates 4*s.*
The Daily Companion, or an approved Pocket Manual of devout Prayers, and other Chriſtian Devotions, adorned with Copper Plates 8*d.*
Paradiſe of the Soul 2*s.* 8½*d*

"Dr. Burke was employed by the R. Catholic Clergy of Ireland to solicit the Holy See, that Ten Irish Saints who as yet were only invoked in parishes where they were patrons, should have Offices to be used throughout the Island. which Offices he compiled. These were approved of by Benedict XIV. & received in Ireland & the Irish Colleges abroad.

However by a Monitum prefixed to the Officia propria I Hibernia. it appears that Dr. Burke was not sufficiently carefull in collecting the Lives of those Saints & consequently was not so generally accepted and it after received some improvements from him." Anthologia Hibernica Vol I

It is evident from this

quotation that the Writer was unaware of the existence of this Edition as it is in the second Edition of 1760 that the Monitum was prefixed

It is supposed from these peculiar circumstances that the present Edition was either destroyed or suppressed It is one of the rarest books relating to Ireland published in the last Century It is not mentioned by Lowndes I was counting in nearly all the extensive collections of Irish Books – at Bradeis's Sale (No. 630) a Copy sold for Eight Pounds. It is one of Thorpe's Catalogues it is marked "extremely rare, Three Guineas"